

ne Jobum aestimaverint, reum consequenter, & ignominiose declarabant asperis verborum jaculis, quibus animum effodiebant. Quo ergo perciperemus, linguae invententis ictus fortiores, ac penitus intolerabiles esse viro gravi, Job hic non tacuit. Hoc est maximum certamen, ut ibi Divus Ambrosius: *Amicorum ei increpationes ad certamen ultimum reservantur.* Bene Eccles. capit. 28. vers. 21. Flagelli plaga livorem facit, plaga autem linguae comminuet ossa: Bene etiam Gillebertus sermon. 24. in Cantic. de linguae, verborumque iniuriis ait: *Nam est succensio quedam de inferius erumpens:* Jacobus ait: *lingua modicum membrum inflamat rotam nativitatis nostrae, inflammata & ipsa à gehenna.*

13 Ne velint ergo Judices esse locustæ, quæ Plinio Authore lib. 11. cap. 29. morsu præcipue valent. Nollem ego esse Pharao vexatus ab his locustis. Nollant Judices suam linguam exasperata in convitia duci, notarique succensam à flammis stygiis. Loquantur digna loco suo, & ne ferantur tumidi, rapidique in Advocatos. Istos moneo obedire Judicii, ut cuncti in Domino amentur, & quisque suo tendat in jugo. David. Psalm. 56. 5. ait: *Fili hominum dentes eorum arma, & sagitta, & linguae eorum gladius acutus*

14 Cum ergo ensis hic Judicem non decet, si quis audeat illo fidere, quo magis residet altiori loco, deponi debet, non enim talis est conveniens Reipublicæ: & si offendit Advocatum, severe reprehendi debet; atque Patrono restituiri honos, quod est arbitrium secundum casum; ita ut tamen severe semper procedatur.

SUMMARIUM CAPITIS XXII.

- 1 *Aspectus plerumque causat aversionem, alias amicitiam, & inclinationem. Advocatus justi tenax nil timet.*
- 2 *Grandis Judicibus debetur bonus. Regium munus est judicare. Ipsi Reges antiquitus judicabant. Romulus præfuit controversiis. Omnia à Judicibus dependent. Omnia Judicibus sunt commissa: Si Judices sunt boni, tota à legibus derivatur dependentia. Reprobantur mala arbitria.*
- 3 *Judicandi munus est Dignitas. Judices ob officium insigni nobilitate fruuntur: sunt Ministri divinae justitiae: sunt simulachra ipsius Dei in terris. Judices dicuntur Reipublica capita: Qui illos offendit, de parricidio tenetur. Sunt loco Regis justitiae administrationi præpositi.*
- 4 *Apud Ægyptios Judices Sacerdotes erant. Sacra Scriptura Dii dicuntur, & Deum Judicem representat. Sunt membra corporis Principis. Ex ipsis oritur tutela publica: Judicis, & Principis eadem est conscientia, & vide quæ hic sunt. Lusiania laudatur.*
- 5 *Assessoribus Judicium etiam bonus debetur. Judices sedentes debent ferre sententiam; & ad sue maiestatis decorem. In cathedra Judicis nullus aliis sedere potest.*
- 6 *Sedes Judicibus competit præ omnibus aliis, & cateris maior: Judex in Tribunali neque cum Illustribus sedet. Si ad audiencias concurrant personæ illustres, sedem habent inter Advocatos. Ægyptii solebant in locis iudiciorum sedes vacuas relinquere, & Angelis destinatas. Angelos tamen non videre Ægyptii. De Ægyptio.*

Ægyptiorum falsis Numinibus agitur.

- 7 *Hoc numero 7.*
- 8 *Per signum Crucis Diabolus ar- cendus à judiciis.*
- 9 *Principes Judices honorant, & etiam illos, qui honorant, reverentiamque exhibent Judici- bus. Advocati debent Judices ve- nerari ex corde. Omnis Dignitas à Rege est, tamquam à fonte. Principes debent Judices præ- mii, atque honoribus afficere.*
- 10 *Judicibus Advocatorum rever- entia maxime debetur; nec Ad- vocati de hoc habere possunt igno- rantiam. Totæ civitas debet re- vereri Judices. Post Divinam, Regiamque Majestatem numeran- tur Judices. Cum videntur, sa- lutantur ab omnibus.*
- 11 *Perfectus describitur Judex: Vide, & nota.*
- 12 *De eadem materia. Hic boni gaudium invenient.*
- 23 *Sapientia lucet in vultu cuius- que.*

C A P U T XXII.

De Advocato erga Judicem, & qua- lis se habere debeat debita reve- rentia. Ubi specialiter de Judicis Dignitate; qua posita, illa dedu- citur reverentia.

Verbo fermo potest esse de Patro- nis in audientiis postulantibus, vel de Advocatis in processu scribē- tibus, & allegantibus apud Judices. Aliud est enim Judicem cathedra se- dentem videre, & aliud domi in actis allegare tantummodo. Iste se- cundi melioris sunt conditionis; af- pectus enim plerumque causat primo quamdam aversionem, ex qua odium aliquando gignitur. Quasi naturali inclinatione homo fertur amicitia in aliquos, cum tamen ab alteris fu- gere velit. Ego, ut verum proferam,

dico Advocatū justi tenacem, & bo- nae facūdiæ de his non curare, utro- que enim modo serenus, & gravis Judicem circūspicit, vereturque, ac mutuo honoratur ab illo. Ut illi nos debito honore prosequantur suffice- ret parvum hunc legere librum: ut vero à nobis venerationem conse- quantur, sequentia referre placet.

Toto ergo jure Judicibus multus debetur honos: *l. fin. cod. quando provocare non est necesse:* Nihil enim tam regium est, quam judicare; & ipsi Reges antiquitus judicabant, si- cut Minos, & alii, ut refert: *Aris- totel. lib. 3. Politic. cap. 10. & 11.* Ideo qui Hebraeorum populo præ- riant, non Reges, sed Judices vo- cabantur, ut est Judicum, Hebrai- ce Sophetim, *lib. c. 2. 16. 18.* Ro- mulus ipse Romanæ Gloriæ Author, antequam populum in triginta Cu- rias divisisset, & Magistratus crea- set, ipse præerat controversiis, li- tisque decidebat: *Mart. in tract. de claus. p. 1. claus. 71. n. 2. pro- batque textus in l. 2. ff. de Origin. juris.* Omnia sunt in manibus judi- cum, ab istisque dependent, nem- pe honos, vita, bona, præmium, & pæna; ac quidquid in terris est. Omnia sunt commissa fidei, reli- gionique eorum, qui publica exer- cent judicia: Utinam semper Judex bonus sit, & doctus! Si enim ita, à Judice res non dependent, sed à legibus; cum Judices istis parere debeant, remoto contrário arbitrio. Jam olim *Bovadill. in Polit. lib. 2. cap. 10. n. 12.* de his arbitriis cla- mavit, postque illum bonus do- cuit *Guerreir. in tract. de mun. Ju- dic. orpan. ad secund. p. rubric. n. 33.*

Judicandi munus amplissima, & celeberrima Dignitas est: *Tiraquel. de nobilit. c. 28. n. 1. 2. & 4. Pa- normit. & Joann. Andreas in cap. quanto de Magistrat. collect. in c. forus de verborum significat. per c. O dudum*

dudum de elect. Archidiacon. in c. 1. de consuet. lib. 6. Et ideo infamis repellitur a judicandi munere: *l. cum Prætor §. non autem ff. de judic. textus bonus in L. Judices cod. de dignitat.* 1. 12. Habent Judices nobilitatem insignem ex ipso officio provenientem: *Cassan. in Catalog. Glorie mundi in 8. p. consil. 11.* Sunt Ministri Divinæ justitiae in terris, & simulacra ipsius Dei: *can. necis 15. q. 1. c. non solum, c. qui malos 23. q. 5.* unde Proverb. c. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Unde, Judicum honos ad tantum gradum pervenit, quod dicantur capita Republicæ, atque Republicæ Patres: *glos. in auth. ut Judic. sine quoque sufrag. §. ex diverso v. amarissimis, ubi tradit Accursi, quod qui illos offendunt, de parricidio teneantur. Idem, Castr. de leg. penal. lib. 1. cap. 3. & 4. & sunt loco Regis, justitiae administrationi præpositi Farinac. in prax. crim. q. 103. n. 126. & 199.*

4 Et si credimus Æliano lib. 14. de varia Historia, cap. 34. olim apud Ægyptios Judices sacerdotes erant: idem affirmat Petrus Gregor. in syntagma. jur. 2. p. lib. 16. cap. 8. n. 18. Sacerdotesque à jure vocantur: *l. 1. ff. de justit. & jur.* Et aliquando in sacris literis Dii dicuntur; quoniam Deum supremum Judicem repræsentant: Exodi 22. *Dii non detrahas.* Sunt membra decora decori corporis Principis: *Azor. in summa de offic. Praefect. Prætor. L. quisquis cod. ad l. Julianum Maiest.* Ex ipsis oritur tutela publica, ne sua autoritate quis sibi jus dicat: *l. nullus cod. de Iudeis Put. de syndicat. §. per syndicatores n. 2. Judicis, & Principis eadem est conscientia: tx. in cap. cum dilect. de rescript. & ibi. Innocente. ubi ait*

quod scientia Papæ, & ejus Cancelarii est una. Princeps famosis Judicibus suam conscientiam committit, ut in aureo statu, moribusque bonis subditos teneat; reddantque Judices unicuique suum: *Michael, de Regim. mundi p. 4. q. 1. n. 15.* Videant Reges, quales Judices elegant, atque habeant! Noscant Judices suam obligationem; ne Princeps perdat animam malos eligendo, aut consentiendo, simulque Judices in Tartara tendant male judicantes. Respublica dependet bono Principe, Judicibusque disertis. O felix nostra Lusitania, Regibus semper decora piis! Quæ non solum armis cunctis gentibus terror, sed etiam terrarum Orbi tuis togis admirabilis! Bene Ecclesiast. cap. 10. *Magnus est Iudex, & potens est in honore.*

Immo, vel ipsis Judicis Assessoribus multus honos debetur: *l. 1. cod. de Assessor. Lanfranc. in tract. de præced. Doct. & milit. n. 44.* Sedentes Judices ob dignitatem sententias ferre debent: *§. sedebunt in auth. de judic. Menoch. de arbitrar. lib. 1. q. 61.* Hocque est ad suæ maiestatis decorem, ut notavit etiam *Vant. de nullitat. tit. de nullitate ex defectu processus n. 84.* Et in cathedra Judicis alius sedere non debet: *Ord. lib 3. tit. 19. §. 9. ibi.*

E com os Juizes na seda se não assentará oficial algum de qualquer qualidade que seja.

Quia sedes ipsis competit præ omnibus aliis, & cæteris maior; altiorque: *auth. de Judicib. §. sedebunt collat. 6. atque ibi. Angel.* Neque Judicem decet in Tribunali etiam cum Illustribus sedere; neque cum Superillustribus, qui vel ideo per procuratores litigare debent. Hoc tamen intelligitur in ipsa Cathedra, alias si ad audientiam concurrent personæ illustres, datur

tur eis sedes inter clarissimos Advocatos. Thesaurus in prefat. suarum decisi. n. 7. affirmat Aegyptios solere in loco judiciorum sedes aliquot vacuas relinquere, in quibus Angeli judiciis, Judicibusque assistentes residerent. Credo tamen Angelos non viros ibi ab Aegyptiis: Bene Juvenal. 15. sat.

*quis nescit qualia demens
Aegyptus portenta colat?*

7 Vide apud Virgil. ubi describit Cleopatram lib. 8. vers. 696.

Regina in mediis patro vocat agmina fistro:

*Nec dum etiam geminos à tergo
respicit angues.*

*Omnigenumque Deum Monstra,
& Latrator Anubis;*

*Contra Neptunum, & Venerm,
contraque Minervam*

*Tela tenet, sicut medio in certa-
mine Mavors*

*Cætatus ferro, tristesque ex athe-
re Diræ.*

*Et scissa gaudens vadit Discor-
dia palla.*

*Quem cum sanguineo sequitur Bel-
lona flagello.*

*Actius hæc cernens arcum inten-
debat Apollo*

*Desuper: omnis eo terrore Aegyp-
tus, & Indi,*

*Omnis Arabs, omnes vertebant
terga Sabæi.*

8 Utinam Angeli mali, qui vacuas sedes sibi destinatas reliquerunt, in judiciis nullatenus occupent! Sit nobis, Dominiisque Judicibus signum Crucis; Deusque, Angelique Sancti eos adjuvabunt.

9 Principes omnes, non solum Ju-
dices honorant, sed etiam eos, qui
Judicibus exhibent honorem. Cas-
san. in catalog. glor. mund. 7. p. con-
siderat. 10. in fin. Cur ergo nos Ad-
vocati Judices non venerabimur ex
corde? Qui honoratur à Principe
debit honorari ab omnibus, glo-
fin. in l. 1. cod. de domestic. & Prae-

tor. lib. 12. omnes etiam honores,
& Dignitates à Rege, tamquam à
fonte procedunt, ac derivantur:
Bartol. & Platea in l. 1. cod. de
dignit. lib. 12. ipseque Princeps de-
bet Judices ad sublimiores dignita-
tes extollere pro laborum compen-
satione: l. fin. cod. de offic. Praetor.
Pont. de potestat. Proreg. tit. 3. §.
6. n. 5.

Judicibus ergo nostra reverentia 10
debetur; & vel ideo quia non pos-
sumus ignorare ipsorum amplissi-
mam Dignitatem, quam omnis po-
pulus, totaque Civitas ex animo
revereri debet: Timpo in specul.
Magistrat. 2. p. signo 16. Socin. cons.
22. n. 4. vol. 1. Et post divinam Re-
giamque Maiestatem numerantur
Judices: Bovadill. in Polit. tom. 2.
lib. 3. cap. 1. n. 6. Et quoties cives
vident Judices per Civitatem in-
cedentes coguntur eos salutare,
quod ego semper libenter facerem;
licet exemptus forem, secundum
veram opinionem Grat. discept. for.
tom. 1. cap. 184. n. 55. & seqq. ad
quod facit l. ex agentibus 4. cod. de
princip. agent. in reb. lib. 12.

11 Ut tamen Judices melius hono-
rentur, non tam ab Advocatis,
quam ab omnibus aliis, ipsis has
regulas constituerem; quibus ob-
servatis, certe summe ab Illustri-
bus viris sine distinctione, omnique
tempore colentur. Sint bono gene-
re nati, ut suppono, hocque præ-
cipue actionibus (hoc sufficit) de-
monstrent: sint justitiae Custodes:
Fortitudinem habeant, & patien-
tiam necessariam valde, mansue-
tudinem, optimam prudentiam,
experientiam, & diligentiam: sint
juris peritissimi, clementiaque
fruantur, bonaque urbanitate, ali-
quando severitate: sint officiis apti,
munerique addictissimi: Ne sint
avaricii, precor, precor, atque mil-
ties precor: Quid dicam de mune-
ribus? Absint mupera: Qui dat,
Oii est

est ut corrumpat. & accipiat.
Munera qui mittit, sperat meliora remitti,
Nemo suas vellet perdere gratis opes.

- 12 Judices multos aliquando injuria ditavit: fugite applicationem Ovidianam: *Helius immensas jure paravit opes*: Et redeundo ad dicta, nostri Judices non serviant affectibus, non sint iracundi, ne ducantur odio: Ne vincantur amore: Ne timidi sint: Ne sint voluptatibus dediti: Fugiant ebrietatem, Bacchumque potentem: Non respiciant ambitiosi personam, sed causam: Non sint venales: Honorant Advocatos, & etiam scribas bene scribentes: Legite, Judices, hoc carmen:

*Comburi possunt libri, monumenta perire,
Judicis at nunquam fama perire potest.*

Legant Salomon. Proverb. c. 24.

- 13 23. *Hæc quoque sapientibus cognoscere personam in judicio non est bonum*. Dixeram hujus capituli in principio Advocatos Judices in audiencitiis non adeuentes esse melioris conditionis; quia forsitan non vident sic in illis aliquos defectus contra supraposita præcepta. Bene Eccles. cap. 8. 1. *sapientia hominis lucet in vultu ejus*. Et aliis cantavit:

*Ut sol in cælis, ut lux in sole videtur,
Virtus in vultu sic habitare tuo.*

Spectator quicumque venit, descendit amator;

Aut illum virtus, aut tua forma capit.

- 14 Eia ergo, Judices Praclarissimi, Lusitanæ gloriæ cupidi; & qui semper Regis clementissimi, ac disertissimi vices geritis, dicta observate, ut posteritati vestra commendetur memoria; sitis populo levamen, æternumque Lusitanæ decus.

*Quæ vobis, quæ digna viri pro talibus ausis
Præmia posse rear solvi? Pulcherrima primum
Di, moresque dabunt vestri, tum cetera reddet
Actutum pius Æneas, atque integrer ævi
Ascanius.
Hoc est Dominus, Regesque.*

SUMMARIUM CAPITIS XXIII.

- 1 Fortunati Advocati Lusitani, quibus contingunt Egregii Senatores: Laudantur omnes generaliter. DD. Ludovicum da Franca Pimentel plorat adbuc Lusitania.
- 2 Celebratur DD. Joannes Alvares da Costa.
- 3 De eodem Domino laudes, licet rudi Minerva.
- 4 Alii plurimi Senatores Lusitani in operis decus referuntur.
- 5 Alteri ulterius Domini commendantur.
- 6 De Excellentia Rectoris Justitiae agitur. DD. Melchior de Andrade Rego memoratur, grande Lusitanis Nomen. De nostri Senatus Lusitani autoritate. Reges nostri Invictissimi plerumque sedere in Domo Supplicationis, sicut in Parisensi Reges Christianissimi.
- 7 Maximo cultu, & obsequio Domini Senatores venerantur. Illorum caput est Princeps; & inter illos numeratur. Senatores Regi inharent, sicut stellæ firmamento. Sunt amici Imperatorum. Per Senatum Supplicationis ostenditur proprie Dignitas Regia. Habere Senatum justitia est solius Regis. Plura ad eum bic invenies.
- 8 Ab illorum sententiis Domino rum

rum non datur appellatio: Advocati debent esse cauti in petendis revisionibus. Plura de revisionis remedio.

9 Reipublicæ valde necessarii Senatores. Pulcherrima in Senatorum laudes traduntur; & qui scripsere de eorum praecedentius.

10 Qui eos offendit, crimen læse Majestatis incurrit. De dignitate Senatoris, hoc est, utrum hic, vel ille munere sit dignus, dicunt aliqui non posse esse dubitationem sine eadem pena. Durum hoc esse traditur, sed dubitare periculosem semper fatemur. Princeps non potest regere Monarchiam sine Senatoribus.

11 Senatores per Togam distinguuntur. Piehei homines improbantur, & vel ideo, quia non ambulant secundum suum statum: Laudatur distinctio. A mundi exordio fuit ista à Deo introducta in terram. In ipso Olymbo fulget distinctio: Reddet ibi Dominus unicuique secundum opera.

C A P U T XXIII.

De laudibus Domus Supplicationis agitur. De Dignitate Rectoris Justitiae, de Senatorum autoritate tractatur; & de summa ab Advocatis debita reverentia erga tales Dominos. Resolvitur Dominum Supplicationis esse maius Justitiae Tribunal in his Regnis; quod oinne quidem conductit ad summum respectum, & venerationem non tam Advocatorum, quam universalem.

I Nunc etiam de Clarissimis, ac Illustrissimis Senatoribus dicendum est, quos nostri Advocati maxima observantia, ac studio super omnes colere debent. For-

tunati vero Advocati Lusitani, qui tantos dominos, Eximiosque viros venerari gloriantur. Magnum hoc nobis, grandeque decus! Si de illis vellem ego digna dicere, potius viderer facta eximia obscurare, quam fragili calamo illustrare; gravemque scribendi provinciam susciparem, si omnes, vel unum solum laudandos aggrederer. Nimis me fateor, deterrent Heroum facta, ac ob id supervacuum, inutiliisque puto laborem. Te nuper, Franca, celsissimo pereunte, adhuc mea dolet mens.

*Franca, tuum Pænos etiam ingenuisse Leones
Interitum, montesque feri, syllaque loquuntur.*

Quid referam alios? Quid, quos de præsenti excelsos nutrit Domus Supplicationis viros? D. D. Joannem Alvares da Costa Senatorem gravaminum peritissimum memor? Dicant non solum Lysii de ipso, cantent Romani. Præclarum Lusitanæ Togæ monumentum, Romano stupente populo, bonis Italisch dediti. Armatos Lusitanos videbat Romulidum gens ex quo tempore Viriatus armis fortissimus consecutus fuit nomen nobile Romanis damnis.

Hos Viriatus agit, Lusitanumque remotis

Extractum lustris, primo Viriatus in ævo,

Nomen Romanis factum mox noble damnis.

Noviter tamen favorablem experta Togam, Teque mirata, vidit Joannem non arma moventem, sed scientia spectabilem, vel ore ipso iura docentem. Ad Te undique lacteo eloquentiæ fonte manantem veluti gentes convolabant. Mirum sane omnibus seculis, stupendumque miraculum, quod in urbe clarissima, & capite mundi aliud homines extra urbem querrent;

rent; ac extérum.

4 *Quis D. D. Emmanuel Gomes de Carvalho dignis laudet elogiis? Tu vere Tullius, non tantum Tullius, sed ter Tullius: alter Livius, Lusitanus. Quid de jure? Imperatores vel ipſi de Te solo convenienter loqui, & sua possent Majestate. D. D. Franciscum Pereira da Cruz, Benedictum Coelho de Sousa Magistros stupendos Collimbria ad sydera evehat; invideat interea aurifluo Tago stellatus Mondas: unus viris non sufficit Orbis. Quid de DD. Emmanuele Almeyda de Carvalho meus dicat calamus? O dives Jurisprudentiae Thesfaure! o cunctis sæculis vir Amplissime; post enim cineres, quos ferros volumus, tua gloria rara durabit; magnaque pars tui fugiet Libitinam. Alios Dominos in medium afferre vellem, sunt enim similes; ait Historiam quasi contexere recuso. Omnes amo humilis, venerorque, Teque summis viribus, D. D. Philippe Maciel numquam satis laudande, & qui Ciceronianæ eloquentiæ es fidus imitator, Jurisque fixum sydus. Te etiam, D. D. Ignati da Costa Quintella: Vere subtilis Doctor appellari potes in jure, & igneus. Memini cum jura explicaret:*

Ignis erat, dabat ore rogos, dabant ore favillas.

5 *Qui de præsenti Dominus in Senatu vices gerit Rectoris Justitiæ est Heros imcomparabilis, & qui laudibus afficere eum velit, longissimis eget voluminibus: uno verbo, est D. D. Melchior do Rego de Andrada, eloquii fluvius. Quid fluvius? Mare magnum est. D. D. Josephus Vaz de Carvalho nulli secundus est: D. D. Joannes Marques Bacalhao est vir excellentis, admirabilis, ac altissimi ingenii. D.D. Alexander Botelho de Moraes est Jurisprudentia notus Alexander,*

qui juris felicius nodos enodat. Te etiam, D. D. Gaspar Ferreira Araujo, quondam miratus est Ganges, nunc amat suum Tagus Te vere aurifluus! Tecum aureis currit arenis, doctissime D. D. Paule Josephe Correa, bene notum mihi Nomen.

Cætera turba palam titulos ostendit apertos.

De excellentia, prærogativa, & Dignitate Rectoris Justitiæ late tradit *Cassan. de gloria mundi 7. p. consid. 7. Purpurat. in l. 1. n. 93. Cabed. 1. p. d. 2. n. 4. gam. decis. 1. & circa ejusdem qualitates prosequitur Ord. Reg. lib. 1. tit. 1. Hæ qualitates ab illa requisitæ, nobilitatis, virtutis, prudentiæ, authoritatis, constantiæ, & divitiarum, omnis que Gloria late hodie fulget in memorato D.D. Melchiore do Rego de Andrada Patriæ Patre; nec est cur in singulis exornandis immoremur. De nostri Senatus authoritate dicat Orbis: Hic vera sapientia æternam sibi ædificavit sedem. Hic nostri Reges Invictissimi pulcherrimo opere sanctissimum justitiæ Templum consecrunt, & quasi proprium Minervæ: hic hortulus amænissimus, hic ingeni aquæ, fluvii, & scientiæ procerae arbores. Hic totius Lusitanæ maximus splendor. Hic venerabilis cætus invenitur: *l. leges cod. de legib.* Hic resident jucundissimi Patres conscripti. Hic ipse Rex Dominus noster: ut deducitur ex Imperatore *in l. jus Senatorum 8. cod. de dignitat. lib. 12.* Et vere multoties Reges nostros sedentes viderunt Senatores, & digni sunt qui videant; sicuti, etiam in Parisiensi Senatu Reges Christianissimi solebant ut *ad d. legem Pyrrus observat*, & in aliis regnis mos est. Nunc profquamur Senatorum laudes.*

Maxime ergo, summo cultu, nimiaque reverentia venerandi sunt Domini Senatores, quorum solum caput Princeps est: *Mont. de auct. magni*

magni consilii à num. 129. Capit. decis. 130. num. 11. Immo inter eos Princeps connumeratur: *l. jus Senator. cod. de dignitat. lib. 12.* & Senatores Principi inhärent, sicut stellæ firmamento: *Bald. in l. cum multa cod. de bonis, quæ liber.* Immo, quod magis est, Senatores vocantur ab Imperatoribus amici: *l. Divi Fratres 17. ff. de jure patronat.* & facit *l. 4. de contrahend. stipulat.* Adde, quod per Senatum Suplicationis, de quo sermo noster est, ostenditur proprie supra dignitas regia; quia cum quilibet inferior possit habere consiliarios respectu patrimonii, conscientiae, belli, habere senatum Justitiae est solius Regis: *Cabed. p. 2. d. 85. Maled. d. 102.* ubi se inclinat ad magnam authoritatem nostri Praeclarissimi Senatus Lusitani, & ad id, quod cætera Tribunalia excedat. Et hæc mihi vera videntur. Ipse Maledo duas decisiones scripsit, quæ sunt habitæ coram Invictissimo D. D. Rege Joanne 4. & sunt decisiones 70. & 71. Hic juxta morem maiorum Regum vere regium intererat sèpe Senatui, suaque condorabat authoritate, hocque cum Senatus distet à Palatio; in quo quis non videt eximum honorem nostrorum Lusitanorum Senatorum? Lætamini ergo, Advocati, quibus honor magnus est tales Dominos revereri, ac apud illos advocare. Qualis fortuna est vestras orationes ab ipsis legi? Ast si dignæ non sunt, cur audetis in medium adducere? Sed plerumque clementia parcit.

8 Ab istorum Dominorum sententiis non datur appellatio: *auth. quæ supplicat. cod. de precibus Imper. offer. l. unic. cod. de offic. Praefect. Prætor;* credunt enim Principes nostri semper recte judicatores pro luce dignitatis suæ, atque incomparabilis scientiæ: unde hic

veluti moriuntur, finemque habent ultimum processus longi. Revisio concedi potest, sed cauti sint Advocati in petenda revisione, falluntur enim Patroni multoties; & quod Senatus decrevit justum est; quia Senatores præsumptionem habent pro se, quod sint doctissimi, & meritissimi: unde Cassiodor. *lib. 1. epist. 43. Quibus fas est de cunctis optimis querere, videntur semper optimos elegisse.* Remedium autem revisionis est odiosum; & prohibitum: *Ord. lib. 3. tit. 95. in princ. & in §. 8. eod. tit. Valasc. cons. 51. n. 1. Thom. Vaz alleg. 90. n. 6.раг. de regim. reipublic. p. 1. lib. 3. aisp. 5. n. 27.* Et fundamentum revisionis est notoria injuria: *Honded. cons. 27. n. 42. lib. 1. Percir. de revis. cap. 15. n. 8.* unde cum per revisionem, quædam fiat veluti Judicibus injurya, ut bene *Thom. Vaz, ubi supra n. 7.* moneo iterum Advocatos, ne ambitione ducti revisiones petant; sed venerentur sententias. Et solum quando fuerint notoriae injustitiae, ad prædictas convolent revisiones, quod raro, aut nunquam sperare vellem.

De necessitate Senatorum plura dixit *Xamar de offic. Judic. p. 1. q. 2. n. 41.* ubi videre potes. Dictis addo unum præ cunctis D. Chrysostomum in *cap. 3. Isaiae;* ubi videntur. Idem etiam *de laudibus Divi Pauli homil. 9.* Idem D. Chrysostomus orat. 3. de regno: *Cicer. lib. 1. offic.* Bene Theognis in sententiis elegiac.

*Clarius in terris nihil est, superat ve Parentes,
Qui probitate graves, justitia-
que vigent.*

Optime, noster Osorius in Epistol. ad Reginam Angliae mira eloquentia hoc probavit. De prædictiis Senatorum inter se pulchre scripsit Gam. decis. 1. De Magistratu,

tuum, & officialium præcedentiis late *Mastril.* de *Magistratib.* lib. 4. c. 14. *Castill.* de *tertiis debitis* c. 41. ex n. 27. *Stephan. Grat.* *discept.* *for.* tom. 2. cap. 298. & non est hujus operis. Quomodo vero Domini Senatores debeant præcedere in Processionibus publicis, quæ fiant in Regno, vel ob partam victoriæ, vel ob nativitatem filiorum Principis, & tamquam ornamenta, aut membra Principis his actibus interesse, vide *Cassan.* in *Catalog. glor. mundi* p. 7. *confid.* 24. *uso ad unum.*

10 Qui eos offendat (quis audeat?) crimen læse Maiestatis incurrit, & licet hoc expressum non videam in *Ord.* lib. 5. tit. 6. saltem ex §. 22. attamen sufficit quod §. 28. negotium relinquat juris communis dispositioni; neque enim refert Legislator omnes casus; immo de hoc mentio superflua foret, cum forsitan incredibile sit esse aliquo tempore animum tam perversum, qui in justum Senatorem insidias tentet, vel ipsi mortem inferre. Vivant omnes ad Gloriam Patriæ, omnis populus eos honoret. Si tamen, quod Deus avertat, in aliquem alicujus civis odium tendat, si eum actualiter offendat, dico incurrere crimen læse Maiestatis ex communi Sententia DD. cum quibus innumeris *Farinac.* tom. 4. *prax. crimin.* q. 12. à. n. 64. *Narbon.* ad *leg. reg.* p. 2. lib. 4. tit. 1. l. 20. *glos.* 7. n. 99. neque dubitandum est, an Senator dignus sit, vel non; per hanc enim dubitationem dicunt DD. incurri eamdem pænam, ut tradit *Platea* in l. 1. ad fin. *cod. de domest. & protect.* *Gratian.* *for.* tom. 2. cap. 284. n. 13. quos citat *Xamar*, ubi supra n. 46. Mihi tamen hoc ultimum durissimum sane, satisque fatale videtur; & non ad tantum apicem extenderem ego crimen læse Maiestatis. Consulerem tamen ab

his dubiis omnes fugere: accedit; quia licet in re sua quisque fallatur; & putet se esse Catonem, attamen non ita, si deponat amorem proprium. Ego de me dicere soleo, noscoque libenter esse mediocris doctrinæ hominem, & quasi juris murem. Alios tamen bene, beneque nosco, & numquam dubito; ex fructibus enim cognosco: ideo in crimen non incurram, quia certus sum de plurimis; scientiamque laudabo Dominorum meorum æternum, licet non egeant. Utrum Princeps possit regere Monarchiam sine Senatoribus, negandum acriter ex his, quæ *Peregrin.* de *jur. fist.* lib. 1. ubi passim, & DD. tradunt. Sic Assuerus sapientum confilio triumphavit super centum, & viginti septem Provincias: Theodoricus Rex suo Senatu mira patravit; nostro autem præclarissimo tota Lusitania vivit in pace, Toga celebrima Minervaque; secundissima virorum, sive Heroum, Mater.

Unum privilegium magnum (quod nemo notavit) competit hodie Dominis Senatoribus. Vis scire? Sunt unici, qui per vestem, idest Togam, distinguntur, & noscuntur: cæterorum est confusio. Ob hoc solum quis non vellet esse Senator? Doleo enim, cum video homines plebeios adeo ornatos, qui mihi Titulares videntur. O pessimum nebolum factum! O ubi sancta distinctio, grandeque meritum nobilitatis! In cœlo ipso datur distinctio; & in terris à mundi exordio juxta illud Genes. cap. I. 4. *divisit lucem à tenebris.* o grandis Senatorum lux! Sic luceat lux vestra, ut videant opera vestra bona; colatque Orbis.

SUMMARIUM CAPITIS XXIV.

1. Scribe debent amari, & hono-
rari ab Advocatis. Plurimi no-
biles laudantur scribae. Patro-
ni sunt in altiori gradu.
 2. Lampones non debent esse scri-
bae.
 3. Scribarum officium securitas
est cunctorum. Vide plura. Scri-
bae dant solum, nos veluti Ad-
vocati ponimus ædificium, hoc
est, allegationes cadunt supra
probationes, & testium dicta,
& alia. In pretio magno haben-
di sunt qui officium suum fideliter,
ac diligenter exercent;
& puniendi severissime qui spre-
tis legibus litigantes deglubunt:
*Alexandri Severi factum nar-
ratur.*
 4. Proprietarii per Legem Lusi-
tanam debent servire in suis offi-
ciis personaliter. Sancta hæc est
lex; & semper observanda. Ex
illa resultat utilitas Advocatis.
Famuli Regis habent prælatio-
nem ad ista officia, si vident.
Scribae proprietarii sunt nobiles;
& hoc juxta aliquorum senten-
tiā.
 5. Scribae quicumque sint, debent
accedere ad domos Advocato-
rum, quando isti petuntur ut
testes. Non bene facient, si eant
ad abjectas personas.
- Additio.
Ita ter mecum observatum vi-
di, & tamen non eram Advo-
catus Curialis: Facit Roman.
Singular. l. 70. Quapropter
existimo sufficere advocationis
munus etiam extra domum Su-
plicationis, ut Advocatus frua-
tur dicto privilegio, & est in-
troductione usu, & consuetudine
firmatum; & cum sit debitum

nobilitati, Advocatus licet non
Curialis nobilis. Et admitti à
fortiori hoc potest; quia domus
Advocati est oraculum Civitatis,
non unde sine notorio detrimento exi-
re non potest.

6. In audientiis publicis sedem
scribae habent distinctam ab Ad-
vocatis: Istorum eminentior est.

C A P U T XXIV.

Utrum scribae debeant ab Advocatis
magnifice tractari. An debeant
adire nostros penates, quando pe-
timur testes?

Advocati vivunt scribis, & scri-
bae Advocatis, unusque, &
alter processu scribunt: opportet
ergo mutuo honorari, atque in
Domino amari. Quoad officia cer-
tum est Advocatos esse in altiori
gradu, penitusque incomparabili.
Si vero attendamus ad generis no-
bilitatem, insignes, & famosos no-
vimus scribas: Joannes (enim)
Nunes da Costa Gentil scriba appel-
lationum Insularum, nobilissimo
genere natus, atavis, proavisque
famosus, moribus, & summa veri-
tate nobilior, suum munus per plu-
ries annos exercuit. Ad istius ingen-
tem nobilitatem sufficiebat esse Pa-
ter Theodosii Marreiros Gentil
amicus mei colendissimi, qui hodie
proprietarius est in officio, quo ser-
vit Emmanuel da Cunha. Superabundabat autem esse Parens R. Pa-
tris Josephi da Costa ex Societate
Iesu Magistri amplissimi, & qui ta-
lis Religionis est grande decus.
Filius alter R. Frat. Marcus. à D.
Antonio, Aquilam Aquila melio-
rem secutus; hoc est habens in
sæculo memoratum parentem, cœ-
lo vero Religionis altissimum D.
Augustinum. Quid memorem aliquos
scribas viros eximios, Franciscum
Correa de Moncada veritatis the-
P saurum,

faurum, Ignatium Franciscum do Coito Equitem Militiax D. Jacobi, & Te claro genere splendentem, Josephe Mendes Margulhaõ. Multi sunt alii, quos memorare non possum, non enim spectat ad opus. Dicta sufficient, ut nos omnes intelligamus debere scribas amare, & honorare, præcipue bene meritos, & moribus puros.

2 Excipias tamen, quæso, Lampones; fertur enim Lamponem quemdam Scribam sedentarium, qui tunc venalem habebat Judicum oblivionem, & in actis publicis quædam delebat, quædam prætermittebat, data opera: nonnumquam inferebat, quæ in judicio dicta non fuerant, rursus alia mutabat, transponebatque pro libito, è singulis syllabis, atque etiam apicibus quæstum faciens; qui sepe, conclamante populo, appellatus est calamosphactes, aptissime; quod scribendo multos calamo jugularet. Atque utinam hodie non sicut discipuli Lamponis, & successores!

3 Scribarum officium securitas debet esse cunctorum; quoniam jus omnium ejus solicitudine custoditur. Armarium tabellionis fortuna omnium est, & merito refugium dicitur; ubi universorum securitas invenitur. Scribæ potius, quam ipsi Judices judicant; quia causarum vincula dissolvunt. Nec enim Judices aliud facere possunt, quam fidem eorum sequi, & quæ apud istos probata fuerint. Sic nos Advocati secundum prædicta allegamus. Illi dant solum, nos ponimus ædificium, quod semper de jure solo cedit. Contractuum, testamentorum, & actorum omnium robur ex fide pendet ipsorum. Eorum Scriptura habent paratam executionem, quamobrem in pretio à nobis habendi sunt, qui suis stipendiis contenti fideliter, ac diligenter suum officium faciunt; & e con-

tra puniendi sunt severissime qui spretis legibus litigantes deglubunt, & res publicas, & privatas deculantur. Sine ulla miseratione durissimis suppliciis afficiendi erunt, qui falsi aliquod pro testimonio scripserint. Alexander Olim Severus notarium quemdam de falso convictum, incisis digitorum nervis deportavit, ita ut numquam ulterius posset scribere.

Utinam semper habeat plenam observantiam Ord. lib. I. tit. 97. qua præcipitur Proprietarios servire per se; maior enim resultat honos ipsis officiis, quando muneris vices alteri non dantur; & sic redundat bona utilitas Advocatis; noscunt enim probatam fidem, & quotidie novos non experiuntur, qui noviter intrantes neque Advocatos cognoscunt, neque (dolor heu!) distingunt. Nota etiam, quod in §. 3. prædictæ legis habent prælationem ad talia officia, si forte vident, vel detur impedimentum, famuli invictissimi Regis; qui cum sint nobiles, bene deducitur scribas nobiles esse eligendos; & sequitur honos, qua cum coli à nobis debent. Faciunt quæ tradit Cov. pract. cap. 19 n. 4.

Ipsos scribas quantumvis nobilissimos debere accedere ad domos Advocatorum, quando isti petuntur testes à partibus jam à nobis supra cap. I. n. 27. dictum manet; & ita praxis observat, & prædicto loco decisum demonstramus; neque de hoc ipsi umquam dubitaverunt. Utinam recusarent ire ad viles, & abjectas personas, mulieresque vanas, quorum mariti in suis propriis domibus volunt uxores jurare, cum tamen scribarum tecta adire non recusent potentissimi viri, & nobilitate conspicui, & quandoque in ipsis Titulares conspiciamus.

In audienciis publicis habent scri-

bæ locum separatum ab Advocatis; istorum enim eminentior est; sicut diversus munerum honos; Advocatus enim ea pollet nobilitate, de qua satis à nobis dictum est. Munus autem scribæ non dat, neque adimit nobilitatem in secura opinione. Ideo si nobilis es, nobilis manus, si non, nobilitatem non consequeris. Dum tamen bonus sis, & justus, nobilior es; & tibi ego non tantum honorem, sed laudes ingentes concedam humilis Advocatus, sed munere grandis.

SUMMARIUM CAPITIS XXV.

- 1 *Scribarum famuli alii boni, alteri terribiles. Protelant causas, dant tempus Advocatis, sunt Procuratores in ipsis processibus, quos tradunt, & ex hoc sequuntur maxima prejudicia. Vide late; & plura hic.*
- 2 *Panditur modus utilis, quo excipi debent. Vide, & nota.*
- 3 *Fere nullam fidem habent; sed eis datur ex consuetudine. Si dicunt Advocatum non velle dare processum, mandatum exposcitur. Vide plura, & late: Advocatus non velit esse causa expensarum; talis enim peccat.*
- 4 *Cautela traditur Advocatis præcisa in recipiendis, dandisque processibus. Laudatur Andreas de Burgos doctissimus Advocatus.*
- 5 *Ob hos famulos grandis patientia est necessaria Advocatis. Prudentii carmina venusta ad intentum patientie. Verba aliquorum famulorum sunt veluti iætus: Scribæ debent maxima ponderatione eligere sibi famulos vere fideles.*

C A P U T XXV.

Quomodo tractari debeant, & excipi ab Advocatis Scribarum famuli, ubi de patientia Patronis necessaria.

Pueros Scribarum, fideles quos vocant, melius ego infideles, & truces hostes appellarem, non quod à fide alienos Christi arguam, sed quia superbos, & insolentes nosco, ac plerumque mendaces, Reipublicæque pestem, & aliquos ipsis Scribis contrarios, etiam tractatus ille postulat meus. Fateor tamen alios esse benemeritos, & vere fideles, mendaciumque fuentes, qui que lites non protrahunt, sed illico petunt processu sua modestia, & gravitate, attensa eorum conditione. Prætermis ergo istis, qui sane pauci sunt alii in nostram sunt creati perniciem nimis potentes; illisque occupationem pessimam vere nobis dedit Deus. In primis noto istos aliquando sibi arrogare munus Judicis; si enim concedit iste Advocato duas audiencias, dummodo Domini Pueri velint, ex duabus trecenti, aut quatuor; & quod magis miror sint hæc miracula in urbe. Suppono secundo, ipsos famulos esse dominis Scribis potentiores; quia multoties magis gubernant ut ipsi fatentur aliquando Scribæ. Tertio: Etiam sunt procuratores, særissime in ipsis causis, quas Advocatis tradunt; & quis dictis suppositis, in hoc non videt apertissimum partium discriminem, & iustitiae metas quassari? Si sum Advocatus illius clientuli, pro quo puer loquitur, ecce parvuli ad me non veniunt, si forte intelligunt (judicant enim) non ita convenire, vel ipsis, ut tempus currat, & vincent salaria; vel ipsis parti, dum forte

forte justitiam ei favere non censem. E contra vero si mihi continuat, quia Constituenti, esse procuratori pueru adversarius, ece importunis precibus ad lat, aliquando mandati minis, quod vulgare est eis ad libitum, tumidus urget.

² Non erit ergo abs re de istis pueris dicere, & docere, quomodo cum illis vivere possimus, & in quibus habeant fidem, patefacere. Ego in primis eos omni urbanitate recipio, & summa comitate; nulla enim melior medicina est umquam inventa ad captivandos animos agrestes, & indomitos. Famulos Scribarum numquam voco, sed fideles; hoc enim titulo magis honorantur, & est suus veluti Doctoratus. Laudo eorum fidelitatem, & bonos mores; & fortassis hac laude imtempestiva saltem mihi fideles experior in futurum. Quando petunt processus, illico do, & si aliquando non habeo promptas allegationes, & à Judicibus tempus peto, prius humiliter ab illis veniam consequor; eo quod ipsis necessarium maneat ad domum meam redire, parvumque tectum intrare. Dicit aliquis hæc necessaria non esse. Fateor sic; sed sum ego expertus ob dicta multam utilitatem.

³ Quantum vero ad fidem, quam habent, vel parva, vel nulla est. Sed quoniam Advocati hac amplissima urbe non possunt ire ad omnes audientias; impossibile enim est, quod reproducantur; ex consuetudine fidem habent; ideo si dicant Advocatum non velle dare processum, mandatum à partibus exposcitur, & à Patrono auferuntur acta pœna legis lib. 3. tit. 20. §. 45. Si vero Puer tradit processum Advocato, & iste non vult acceptare, nec ideo lis currere potest; sed in tali casu consuetudo est quod pars adverſa per janito-

rem tradere mandet; & tunc si Patronus iterum recuset, dat prædictus ostiarius fidem, cienique manet indefensus, & tunc controversia, si qua erit, est inter Advocatum, clientemque suum. Similiter citationes, quæ sunt Advocatis, antequam testes producantur, quando isti assignare nolunt, vulgo *fēs de citaçāō*, ab ostiario traditur papyrus. Et tunc vel Advocatus assignat, vel dat fidem Janitor, & ita servatur, & practicatur. Numquam tamen Advocatus velit esse causa talium expensarum, quas plerumque partes facere non possunt, præcipue si pauperes sint; quapropter talis exterminanda crudelitas, de qua video partes aliquando valde dolentes, multosque Patronos in hoc peccantes.

Videant Advocati, quando ipsis traduntur à talibus famulis processus, num truncata veniant folia, vel desint aliqua, aliudve vitiū sit in actis: examinet pendulos, & numeret; siveque assignet. Quando autem petuntur, per suam propriam manum abradat vehementer signum; & non sinat eos hoc facere. Sic plurima evitantur incommoda; & si hoc observaret eximius vir Andreas de Burgos nunc Advocatus clarissimus, aliquando Judex civilium causarum his urbibus, certe non pateretur paucis ab hinc temporibus damnum, de quo ille dicat; voluerunt enim contra ipsum procedere, eo quod deficiebat pendulus, quem non receperat.

His famulis vere debemus exercere patientiam, qua cum difficultates maiores vincere possumus; ad quod faciunt illa verba Divi Chrysostom. lib. 2. de Sacerdot. ibi. *Est vero mortalibus bonorum omnium author patientia.* Hac famulos scribarum recipiamus, non ira. Clara mihi Prudentii carmina.

Omnibus

Omnibus una coeas virtutibus
associatur,
Auxiliu nque suum fortis patien-
tia miscet.
Nulla anceps luctamen init virtu-
te sine ista
Virtus, nam vidua est, quam non
patientia firmat.

His ergo spinis forsan voluit Deus
nostram pungi patientiam, quas
pati non recusat Advocatus, sic
melior miles; verba enim istorum
famulorum aliquando veluti ictus,
& vulnera, tela, & gladii: sufficit
omnibus patientiae umbo: Tela re-
tusa cadant, atque irrita vulnera
dentur.

SUMMARIUM CAPITIS XXVI.

- 1 *Advocati dicuntur togati. Quid sit toga? Explicatur. Sola toga poterant antiquitus orare. De Proconsulis more sermo est.*
- 2 *Augustus togæ amans, reducere ad pristinum statum quo ad vestitum voluit Romanos, foro præsertim stantes. Laudatur R. P. Petrus de Almeyda ex Societate Jesu, qui scripsit in Suetonium.*
- 3 *Menochius de Advocatis etiam intelligit memoratum locum. De jure regio non habemus legem, & quæ vestes nobis decernat. Legislator voluit sequi in hoc doctrinam Quintiliani, secundum etenim istum, cultus Advocati in oratione conspicitur. Agitur de Demosthene. Reprobatur usus ignobilium, qui sibi arrogant impudenter vestes splendidas, & hic notabilia dicuntur.*
- 4 *Forma neglecta decet homines serios, & Advocatos.*
- 5 *Reprobantur illi, qui se mollius ornant: Datur ibi consilium*

- non malum.*
- 6 *De annulo Doctorum dicitur. Memoratur prælium ad Caninas.*
- 7 *Laudantur ob honestatem, Afri- canus, Curius, Cato.*
- 8 *Refertur dictum Sinopæi. De Trivianis Sermo est. Proscindi- tur etiam Maximinus Junior accuratus in vestibus. Invehi- tur Porcius Latio, Ælianus, & Ovidius contra viros fami- neum cultum quasi amantes.*
- 9 *Semper tamen Advocati debent suæ Dignitati consulere. Cultus mediocris, splendorque vestium conducit ad comparandam autho- ritatem; quod de jure probatur. Splendidae vestes sunt Advocato decori, sordidae dedecori. Me- dium in hoc suave ab autore attingitur.*
- 10 *Martialis epigramma probans hoc. Exemplum Divi Bernar- di, & divi Augustini; Sancti Ignati de Loyola; Danielis; Ministrorum Salomonis.*
- 11 *Servandus est mos regionis. Divus Hieronymus ob hoc lau- davit Nepotianum. Verba So- phonie in vestes peregrinas. Ale- xander Magnus vituperatus fuit, relieta veste Macedonica. Galli speciosi declarantur, & vestium peregrinarum amantes.*
- 12 *Vestibus pretiosis adhibetur honos. Lignani Jurisconsulti celebris actio. Phædræ elegan- tia carmina ad Hippolytum. Ad- vocatus debet esse honestus; & ridiculae vestes exterminande.*
- 13 *Rethores in oratore volunt cor- poris gravitatem, honestumque modum. Hodie quasi de hic cu- rare nil interest.*
- 14 *Pulchritudo exterior denotat quandoque pulchritudinem, ac venustatem interiorem. Species corporis simulachrum est men- tis.*

- 15 Philosophi inter maiora saeculi bona ponunt pulchritudinem. Ista semper in pretio, & honore fuit habita. Lucretii carmina de hoc.
- 16 Reges apud aliquas Gentes pulcherrimi creabantur. Apes ita imitabantur.
- 17 Advocatos, vel ideo quia milites sunt, decet pulchritudo, & gravitas; & pluribus firmitatur exemplis.
- 18 Omnia hac dicta in curiositas gratiam. Advocatus non eget pulchritudine, nisi in moribus, & ingenio.
- 19 Qui ornatu apparent quasi feminæ, improbantur.
- 20 Dignitas oris plerumque sapientem ostentat. Exemplis elucidatur.
- 21 Probatur de jure; & quod deformitas corporis declareret deformitatem animi. Martialis carmina in Zoilum.
- 22 Frons, oculi, vultus, quandoque mentiuntur: deformis potest esse bonus, venustus pessimus. Elegantia corporis multum conducit ad Judices. Advocatus Jesus Christus fuit speciosus.
- 23 Media via elititur: Plura pro pulchritudine traduntur.
- 24 Senes vestibus amissam juventæ venustatem recuperant.
- 25 Rejiciuntur in viris ornamenta feminarum. Probus animus declaratur, & interior animæ alacritas. Exempla venusta ponuntur.
- 26 Occurrere deformi infelix omen apud antiquos.
- 27 Pulchritudo in judiciis saepe proficit.
- 28 Hoc numero usque ad capitis finem late materia declaratur pulchro sensu. Tenditur per allegorias.

C A P U T XXVI.

De Vestibus Advocatorum, eorum Toga, annulo, & de honestate debita. Ubi de Corporum, facieque gravi venustate.

Advocati dicuntur togati: *I. i. §. cum novellæ cod. de emend. Justin. cod. l. quidquid, l. cum advocatio, l. si quis de togat. cod. de advocat. divers. jud. Matienço, in Dialog. p. 2. c. 1. n. 5. Peg. ad Ord. lib. 1. tit. 48. glos. 1. n. 15.* Toga autem fuit quondam Romanorum maximum insigne, ut tradit Poeta.

Romanos rerum dominos, gentemque togatum.

Nec aliis ea ueste uti licebat, quare deportati jure civium Romanorum exuti, statim usum togæ amittebant, ut scribit Plin. lib. 4. epist. 12. ad Minucian. Toga vero super alias uestes induebatur, sinnistrumque humerum tegebat, & ante pectus demissa fibula in dextro humero neciebatur, ut scribit Panciroli. in suo thesaur. cap. 12. & hujus togæ meminit *I. vestis §. 2. de auro, & argent. legat.* Senatores dum judicabant, & in Senatu sedebant, togatos esse opportebat, alibi penulis indui poterant. Sic & Advocati, præterquam ubi causas orabant, penula uti poterant, & ideo togati appellabantur; immo toga Præfectoræ Illyricianæ pro Collegio Advocatorum ejus fori accipitur: *I. iisdem cod. de advocat. divers. judic.* Cicero pacis insigne, & otii esse dixit togam lib. 1. epist. epist. 62. quia milites pro ea chlamydem, & pro tunica sagum accipiebant. Unde Pisone Proconsule Romam ex Provincia Macedonia redeunte, ait, togulas lictoribus ad portam præsto fuisse, quibus illi acceptis sagula rejecerunt, & catervam Imperatori suo novam

novam præbuerunt; Procul enim Romam ingressus, imperium amittit, & ideo ad urbis portam Proconsularia insignia deponebant. Nostros Advocatos Toga usos memorat etiam Claud. Sueton. in August. cap. 40. in fin. ibi. Negotium ædilibus dedit, ne quem post hac paterentur in foro, circove, nisi positis lacernis togatum. Et sic indigabundus Augustus clamitavit.

*En ~ Romanos rerum dominos,
gentemque togatam!*

Ideo habitum, & vestitum pristinum reducere studuit, & de Advocatis hoc maxime intelligitur. Illud enim consilere, est immorari, ut notat in hunc locum Sapientissimus Pater Petrus de Almeyda ex Societate Jesu, vir parentibus nobilissimus, clarior tamen suo Sancto Patre Ignatio, virtutibus summopere deditus, litteris famosus, Academicus Regalis Historiae, amatus à Regibus, & Titularibus; qui tandem post vitam bene peractam obiit in Domo Professa D. Rochi magno suorum fletu, & Lusitanæ, totiusque urbis ululatu.

Ita etiam intelligit Menoch. de arbitr. judic. l. 2. centur. 6. c. 561. n. 2. Togatos, ait appellat Cicero non quidem plebeios artifices, sed eos, qui in foro agendis causis descendebant, nempe Oratores, quos Toga fuisse usos scribit Claud. Sueton. Hoc tamen tempore non habent Advocati peculiares vestes, neque in nostra Lusitania habemus legem de hoc, licet non foret superflua; sed Legislator fortassis se voluit accommodare Quintiliano Oratori disertissimo, qui lib. 11. cap. 3. Instit. Orator. ita habet: *Cultus non est proprius Oratoris aliquis, sed magis in oratione conspicitur. Quare sic in omnibus honestis debet esse splendidus, & virilis. Nam & toga, & calcens, & capillus tam nimia cura, quam negligentia sunt repre-*

bendenda. Hæc sunt optima, & suaviter dicta. Sic etiam Policarp. lib. 8. cap. 14. cuius verba Alberic. in l. ornamentorum ff. de auro, & argento legato, & in l. unic. col. pen. vers. cod. de suffrag. ita refert: Demosthenes antequam virtus innotuisset, cultus operosioris dicitur appetuisse nitorem, sciens quod purpura causidicum vendit. At postquam famam, & notitiam assequuntus est eloquentia, toga contentus fuit, dicens se velle sibi à se potius, quam à nitore vestium, ac cultu exquisito constare gloriam, & nullens vestem ex viro cognosci, quam virum ex ueste. Quiem enim proprius attollit honor, utilitas vestium non deprimit. Emendatumque videtur laudis esse suffragium, quod ab extrinsecus pendet. Hoc ille. Scribit tamen Menochius, ubi supra, n. 3. adhuc hodie esse Advocatos togatos, & sic incedere debere. Ego hodie tamen non distinguo; pessimi enim homines, & personæ abjectæ non sine nobilium dolore, magno conscientiæ detimento, & animarum incommodo sibi usurpant decoras uestes: O tempora, o mores! Hinc defectus pecunia, hinc mortuus nobilitatis splendor, aratum perit præmium, Titularium Gloria, hinc homicidia, & Luxuria, furtum, rapina, malique mores mox daturi progeniem vitiosiorrem, originem sumunt.

Forma neglecta præcipue Advocatos homines serios decet, & debemus abhorrire fæmineos quasi apparatus, ut bene Ovid. lib. 1 de arte amandi.

Sed tibi nec ferro placeat torquere capillos,
Nec tua mordaci pumice crurateras.

Ista jube faciant, quorum Cybeleia mater
Concinitur Phrigiis exulata a modis.

Forma

Forma viros neglecta decet: Minoida Theseus abstulit, à nulla tempora comptus acu.

Hippolitum Phædra, nec erat bene comptus, amavit.

Cura Deæ Sylvis aptus Adonis erat.

5 *Fæminæ nostræ nobilissimæ non accipiunt in maritos istos Advocatos, immo illos à se rejiciant, vel potius patres earum nos mollius ornatos, tempus enim terimus inutiliter: Idem Ovid. eod. oper. lib. 3.*

Sed vitare viros cultum, formamque professos,

Quiques suas ponunt in statione comas.

Nec coma vos fallat liquida nitidissima nardo,

Nec brevis in rugas cingula pressa suas.

Nec toga decipiat filo tenuissima, nec si

Annulus in digitis alter, & alter erit.

6 *Sufficit enim unus in Doctoratus signum, & hominum ingenuorum, cum antiquitus solus esset permisus togatis, & equestribus. Panciroli. in suo thesaur. lib. 1. cap.*

14. licet postea ad signandum tam frequens fuisset, ut Annibal clade ad Cannas Romanis illata, ultra modum aureorum annulorum, quos mortuorum digitis detraxerat, Carthaginem miserit, ut tradit Livius decad. 3. lib. 3. & alii ampliant hunc numerum.

7 *Noster Advocatus Silius Italicus lib. 8. Punic. laudat Africanum, cuius coma nullis cincinnis, annulisque distincta, nec gradatim formata, sed ex omni parte æquabilis, qualis viros decet:*

Martia frons, facileisque comæ, nec pone, retroque cæsaries brevior.

Adornabat eum promissa cæsaries, habitusque corporis non cultus

munditiis, sed virilis vere, ac militaris: sic etiam Horatius ob id Curium extollit lib. carm. 1. od.

12. Hunc, & incomptis Curium capillis utilem bello tulit.

Ita Catonem laudat lib. 2. od. 15.

Præscriptum & intonsi Catonis. Quem sequitur Lucan. lib. 2. de ipso Catone loquens.

Ille nec horrificam sancto dimovit ab ore cæsariem.

Et paulo post.

Intonsos rigidam in frontem descendere crines Passus erat.

8 *Diogenes Sinopæus composito, cultoque adolescenti quippiam roganti, non ante se dixit responsurum, quam aperte exploraret, virne esset, an mulier; veluti cultus ille fæminam præ se ferret, nec virum deceret. Hunc ornatum muliebrem Teveris exprobatus apud Virgilium lib. 9.*

Vobis piæta croco, & fulgenti murice vestis,

Disidia cordi: juvat indulgere choreis:

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitrae.

Et appellantur Phrigiae.

O vere phrigie, neque enim phriges, ite per alta

Dyndima ubi assuetis biforem dat tibia cantum.

Veritas tamen est, quod sic fortissimi fuere bellatores; ut tradit idem Poeta, & bene respondere: Julius Capitolinus proscindit Maximum juniores, quod in vestibus tam accuratus erat, ut nulla mulier nitidior esset illo. Porcius Latro nobilis Advocatus, & Declamator elegantissima in Catilinam declamatione sic ait: Hi sunt, quos in foro quotidie in oculis civium calamistratos, ac vestibus collucentes passim obvoltare cernimus. Elianus lib. 9. varie Hist. Poliorceten reprehendit, quod capillos decore pecten-

pectendo disponebat, ac rufos faciebat, faciemque inungebat, aliisque id generis deliciis summum inertiae suæ impendebat studium. Facit ad hoc illud Ovid. *de medicamine faciei.*

Nec tamen indignum sit vobis cura placendi,

Cum comptos habeant sacula nostra viros.

Fæminea vestri potiuntur lege mariti,

Et vix ad cultus nupta quod addat, habet.

9 Tantis per tamen viris, & nostris Advocatis negligendus est cultus, dum dignitati eorum consulatur, & non desint munditiæ. Comper- tum est enim cultum mediocrem, splendoremque vestium ad digni- tatem quamdam, autoritatemque comparandam, ac tuendam, non parvum momentum afferre, ut est testis Pontifex in cap. ut *Apost. de privil. lib. 6.* & ita ait *Fabius Quintilianus in Prolog. lib. 8.* quare *Speculator tit. de advocat. §. sequitur videre, per totum contendit probare splendidas vestes Advocato esse decori, & dignitati, contra vero sordidas, dedecori, & contemptui.* Ego nostris hæc omnia con- cederem, dempta affectatione, & nimia ad hoc cura, aut semper rigorosa observantia.

10 Hæc quidem moderatio nostris erit utilis Advocatis, & maxime convenit eorum moribus, ad quod conducit illud Martialis Epigramma in *Pannicum lib. 2.*

Pectere te nolim, sed nec turbare capillos:

Splendida sit nolo, sordida no- lo cutis.

Nec tibi mitrarum, nec sit tibi barba reorum.

Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.

Legimus Divum Bernardum & doctrinam, & sanctimoniam clarum,

veste quidam satis vili, sed minime squalenti usum, ac etiam dicere solitum: *Tunicam sordibus obsoletam testem desidæ, atque socordiæ esse; ejusque immunditatem interdum ad hypocrisym spectare; utpote quia sic multoties inanis gloria queritur.* Posidonius Calamensis in vita D. Augustini c. 22. scribit eidem vestimenta fuisse, nec nitida nimium, nec abjecta plurimum; quia hic plerumque, vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere. Hæc eadem fuit mens sancti Ignatii de Loyola, viri in solo Deo cogitantis, & ad maiorem ipsius gloriam; regula enim istius Patriarchæ filiis munditatem summopere com- mendat, & ipsi Sanctus semper apparuit honestus, gravis, & mun- dus: Daniel vir Sanctissimus purpu- ra, & torque aureo in collo indu- tus est, ut scribitur Dan. 5. & Regina Sabba admirata est vesti- menta ministrorum Salomonis 2. Reg. c. 10. ut sciamus vestes, alia- que ornamenta sumptuosa, si in- terno animo tamen despiciantur, gestare per se non esse malum, sed in ordine ad conservandam autho- ritatem, & ministerii decus, quid- quid mali, & sordidi reclament Catabaptistæ.

Servandus est in hoc mos unius 11 cujusque regionis: *glos. in c. penult. in verbo de aurat. & ibi Panormit. col. ult. Capra extr. de vita, & ho- nestate cleric. Specul. tit. de Advo- cat. §. sequitur videre: D. Thom. 22. q. 169. art. 1.* Ideo Divus Hieronymus Nepotianum laudat, quod in cultu provinciæ morem sequere- tur, & hoc in epist. ad Heliodorum. Sophonias Propheta cap. 1. Deum ita facit loquentem: *visitabo super omnes, qui induti sunt ueste pere- grina.* Alexander Magnus vitupe- ratus fuit, quod relicta ueste Ma- cedonica, usus fit peregrina, ut scribit Diod. *Sicul. lib. 17. Bibliot.*

& alii ; & de hoc usū arguuntur Galli , quod cum primum viderint vestem aliquam peregrinam , continuo illam induant ; semper enim suere speciosi , & nitidissimi , ut ex illo Virgilii : lib. 8.

*Galli per dumos aderant , arcem.
que tenebant
Defensi tenebris , & dono noctis
opacæ.
Aurea cæsaries ollis , atque aurea
vestis
Virgatis lucent sagulis , tum la-
etæ colla
Auro innectuntur.*

12 Vestibus pretiosis multoties honor adhibetur : Cassan. in Catalog. p. I. consid. 23. in princip. unde chlamys militem , purpura Regem , stola Sacerdotem , cuculla Monachum , toga Advocatum demonstrant : glos. in l. I. quam citat Barbos. in Remiss. ad Ord. lib. I. tit 48. n. 6. Joannes Lignanus Jurisconsultus clarissimus , quem ad nuptias invitatum choragus loco parum honorifico considerare jussit , tamquam minus ornate indutum , ex ueste homines judicans ; propere jussit famulum petere in domo sua uestem splendidiorem , eamque suo loco depositam relinquens ; uestem voluistis , uestem habetote , exclamans cum indignatione decessit. Ita refert Bolognin in auth. habit cod. ne filius pro patre , & idem Barbos ; ubi supra . Attamen non bene intravit amicus sine ueste nuptiali. Hoc pro coronide dabo Phædræ Ovidianæ ad suum Hippolytum.

*Sint procul a nobis juvenes , ut fæ-
mina , compti ,
Fine coli modico forma virilis
amat.*

*Te tuus iste rigor , positiue sine
arte capilli ,
Et levis egregio pulvis in ore
decet.*

Gravem , & mundum volo Advocatum , sed vel ideo honestum ;

& ideo usus mali , & vestes ridiculæ exterminandæ sunt. Et hæc sint satis.

Nunc ad corporis gravitatem 13 accedendo , de qua etiam dicere audeo , dico Rhetoricos hanc etiam in Oratore appetere , unde si Advocatus est Orator , ut diximus primis cap. videbatur dicendum etiam hoc bono debere esse præditum. Ast cum jam non dicamus pro rostris , sed in domibus consulti , quid rejiciam horrendos Advocatos , truces , & deformes , ac veluti Faunos ?

Non est tamen negandum , quod 14 pulchritudo exterioris hominis ostendit , & exprimit quandoque pulchritudinem hominis interioris , ut bene D. Ambrosius lib. 2. de virgin. ibi species corporis simulachrum est mentis , figuraque probitatis. Fan. in tract. de modo stu- dendi cap. 30. v. item & considerandum est Luc. de Pen. in l. I col. I. v. secundo queritur cod. qui etate , vel profes. se excus. lib. I. ubi authoritate docti Boethii scribit , non esse satis idoneum studiis liberalibus , qui fuerit invenustus , & deformis ; quod etiam repetit in l. I. cod. de profes , qui in urbe Constan- tant. lib. 12.

Philosophi aliquando rerum jus- 15 ti æstimatoræ inter præcipua natu- ræ primigenia annumerant pulchri- tudinem. Ita Plato Philosophorum gravissimus lib. I. de leg. Et quod semper in honore , & pretio fuisset habita ostendunt quædam Lucretii carmina.

*Condere cæperunt tum urbes , ar-
cemque locare
Præsidium Reges ipsi sibi , per-
fugiumque ,
Et pecudes , & agros divisere ,
atque dedere
Pro facie cujusque , & viribus ,
ingeniisque ;
Nam facies multum valuit*

Ipsi

- 16 Ipsi Reges apud plerasque gentes non creabantur nisi pulcherissimi, & speciosi, ut bene *Strab. lib. 16. & 17.* ubi refert Aethiopes Meroitas Regem constituere solitos, qui forma ceteros excelleret: legendus *Diodor. Sicul. lib. 17. Pompon. Mel. lib. 3.* Et in hoc naturaliter imitari videbantur, quæ apes docuit Reges sibi diligere insignis formæ, dissimilesque ceteris, tum magnitudine, tum nitore, ut tradit *Senec. ad Neron. lib. de clement. 1. c. 9. Plin. lib. 11. c. 16. Columella lib. 9. c. 10. Virgilius lib. 4. Georg.*

17 Si autem Advocatos milites diccas, neque ab ipsis est aliena venustas, immo etiam laudatur juxta illud Poeta *lib. 9.*

*Stabat in egregiis Arcentis filius
armis*

*Pictus acu clamydem, & ferru-
gine clarus Ibera.*

alibi etiam *de Euryalo.*

*Gratior, & pulchro veniens in
corpore virtus.*

Et etiam: *Euryalus forma insignis:*

*Et juxta comes Euryalus, quo pul-
chrior alter: Non fuit Aeneadum,
Troiana neque induit arma. Et de
Julo:*

*Aeneas, primique duces, & pul-
cher Julus.*

Et de Turno:

*ante alios pulcherrimus omnes
Turnus.*

Et de Lauso, & Pallante Regis Euandri filio.

*Hinc Pallas instat, & urget
Hinc contra Lausus, nec multum
discrepat atas,*

Egregii forma juvenes.

18 Hæc omnia sunt dicta in curiositatis gratiam; non enim notter Advocatus eget, nisi bonis moribus, & ingenio.

19 Cum ergo hæc ita sint, quare aliquos video veluti fæminas? Graves vellem, non ridiculos. Defor-

mes quare? Sed non pueros, Juloque, quorum cordi est pulchritudo; suadentibus teneris annis, desidiaque. Nos vero nostris laboribus, studioque vexati non attendamus semper ad Cæsariem, utinam æternum ad caput, & rectimentem conscientiam; integrosque mores!

Scio, ut supra dictum est, quod 20 dignitas oris plerumque Regem, bonum, & sapientem ostentat, ut bene Claudianus *de Stilicone:*

*Jam tum conspicuus, jam tum
venerabilis ibas,
Spondebatque ducem celsi nitor
igneus oris,
Membrorumque modus.*

Facit Ovid. *lib. 2. Fastor;* ubi loquitur de Lucretia: *ibi.*

*Et facies animo dignaque, par-
que fuit.*

Et libro 6.

*Par animo quoque forma suo res-
pondet in illa,*

*Et genus, & facies, ingeniumque
simul.*

Probat Cyn. in l. 1. in 3. q. ff. 21 de jurisdic. omnium Judic. Alex. conf. 209. col. 2. lib. 6 sicut etiam, quod deformitas corporis declarat deformitatem animi: *Panormit. in c. quia diversit. in 1. n. per illum tx. de concession. præbend. sequitur Rasis Medicus peritissimus, & nomi-
nis maximi, lib. ad Almansorem 2.
c. 23. ibi. cuius facies est deformis,
vix potest habere bonos mores: pro-
bat. Galen. lib. 1. de usu part. &
fuit sententia Hippocratis; & faciunt
Valerii Martialis carmina lib. 12.
epigr. 54. ibi.*

*Crine ruber, niger ore, brevis
pede, lumine laesus,*

*Rem magnum præfas, Zoile, si
bonus es!*

Quia tamen hæc, frons, oculi, 22 vultus persæpe mentiuntur; sequitur unos, & alteros bonos esse pos-

se;

se; unos etiam, & alteros malos. Deformis quandoque bonus, venustus quandoque pessimus. Non potest tamen negari venustatem, corporisque elegantiam multum conducere ad Judices maximè ad Advocatos oratoresque s̄e. Faxit Deus, ut interiori animæ elegantiâ, ac bonis moribus venusti vitam conservemus Advocati in gratiâ nostri Domini Advocati Jesus Christi, qui vere fuit speciosus Advocatus! *Speciosus forma p̄ae filiis hominum. Dominus regnavit decorem indutus est. Iste formosus in stola sua.*

PROSEQUITUR ANTECEDENS
materia.

23 **A**udi, Advocate, Redemptoris verba apud Math. c. 6. v. 28. *Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis.* Et ergo in ornatu vestium media via elienda, ita ut Advocatus non deflectat à viro, & neque immundus apparet, ut plures novimus indecentes quidem. Cultus si bene est subordinatus, neque Deum, neque homines laedit: immo Numen videtur pulchritudinem appetere: Psalm. 44. v. 1. *in vestitu deaurato, circumdata varietate:* Hinc Abulensis prolatus q. 1. in c. 28. Exod. sic loquitur. *Quia Deus vult pulchritudinem in rebus suis, cum ipse pulcherrimus sit.* Hæc autem pulchritudo placebat Deo; quia recte subordinata erat. Et pulchrum compte indutum Tibullus vocat lib. 2. Eccl. 5.

*Sed nitidus, pulcherque veni,
nunc inde vestem*

*Depositam, longas nunc bene
pechte comas.*

Apud Titum Calphurnium Eclog.

7. unus conquerebatur de plebeis amictibus, quasi formam, & aestimationem non aliud obscuraret, quam in honoræ vestis despectus census: Ita hodie experimur.

*O utinam nobis non rustica vestis inesset,
Pullaque paupertas, & adunco fibula morsu!*

Et florida vestis specie etiam ²⁴ fenes quasi amissam juventæ recuperare venustatem subinnuit non illepidè Sidonius Apollinaris lib. 4. epist. 13. ad Vectium: *Quique post tergum cum jam duodecim lustra transmittat, quotidie tamen habitu, cultuque conspicuo non juvenescit solum, sed quodammodo repueras. cit.* Ceterum, ut ego jam dixi, nulliesque dicere vellem, accuratior de veste, & ornatu cura procul dubio ad muliebrem spectat sexum, ut bene Tertullianus lib. de habitu fæminarum: *Proprie, & quasi peculiariter fæminis instrumentum istud muliebris gloriae contulerunt, lumina lapillorum, quibus monilia variantur, & circulos ex auro, quibus brachia arctantur, & medicamenta ex fuco, quibus lane colorantur, & illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.*

Supradicta ergo fugienda, viros ²⁵ etiam compositos non decent: Quintilian. lib. 11. c. 1. *ut monilibus, ac margaritis, ac veste longa, quæ sunt ornamenta fæminarum, deformantur viri.* Adde, quod iste ornatus ad nihil inservit, si animus nō est probus, sed multis malis operibus quassatus est spiritus Advocati. E contra autem, si juste vivit, anima dabit alacritatem corpori, & venustatem vitalem; quam plerumque admunt peccata, quæ invisiliter hos faciunt effectus. Pulcher est, ut Joseph: Genes. c. 39. v. 6. *Erat autem Joseph pulchra facie, & decorus aspectu:* Et Genes. c. 49. v. 22.

En. VIII, 400

v. 22. iterum: decorus aspectu: Esto, ut David Reg. I. cap. 16. v. 12. Erat autem rufus, & pulcher aspectu, decoraque facie. Pondera illud Judith. 10. 4.

Cui etiam dominus contulit splendorem, quoniam, omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat, & ideo Dominus hanc illam pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.

Ipsa Gentilitas hunc vigorem attribuit suis falsis Deitatibus.

Restitit Aeneas, claraque in luce resulfit,

Os, humerosque Deo similis, namque ipsa decoram

Cæsariem nato Genetrix, lumenque juventæ

Purpureum, & lætos oculis afflrat honores.

26 Ut tamen de pulchritudine pulchra dicamus, sciendum est antiquos adeo deformitatem abhorrere, ut deformi occurrere infelix, atque in auspiciatum omen esset, ad quod alludit Juvenal. satyr. 5.

Tibi pocula cursor

Getulus dabit, aut nigri manus ossea Mauri,

Et cui per medium nolis occurrere noctem.

27 Ipsa pulchritudo in judiciis aliquando profecit, fuitque textus etiam Advocato; quia cum Phryne meretrix Thespensis in judicio Atheniensi fuisset de quoddam delicto accusata ab Euthia, ob pulchritudinem solam fuit absoluta, nam tunicam à pectore deduxit conscientia formæ. Tantum potuit favor pulchritudinis, & quod Hyperidis Oratoris clarissimi actio efficere non potuit, bene valuit mulieris malæ bona forma: Quintil. l. 12. c. 16. De hac cecinit Propertius.

Nec quæ deletas potuit compone re Thebas Phryne.

Est formosæ species muta commendatio. Hac vulcanus captus pulchritudine promittit Veneri quid. quid in arte valet.

*Et nunc si bellare paras, atque hæc tibi mens est,
Quidquid in arte mea possum pro-
mittere curæ,
Quod fieri ferro, liquidove po-
test electro,
Quantum ignes, animæque valent:
absiste precando
Viribus indubitare tuis.*

• Litigabat Venus cum Junone:
*Oderat Aeneam propior saturnia
Turno,
Ille tamen Veneris numine tu-
tus erat.*

Quid ergo? Venus petit Vulcanum Advocatum. Quales iste dedit in Lucem allegationes? Clypei scilicet non enarrabile textum. Quid clypeo? tenebræ etiam, & nox opaca.

*Defensi tenebris, & dono noctis
opacæ.*

Ulterius.

*Hic Nomadum genus, & discin-
ctos Mulciber Afros,*

*Hic Lelegas, Carasque, sagitti-
ferosque Gelonos*

Pinxerat.

Quid vis magis de Vulcano? cætra deserit opera pro meretrice, Jovem, Martem, Pallademque despicit.

*Fulmen erat (toto genitor quæ
plurima collo*

*Dejicit in terras) pars imperfe-
cta manebat.*

*Parte alia Marti, currumque,
rotasque volucres*

*Instabant, quibus ille viros, qui-
bus excitat urbes,*

*Ægidaque horrificam turbatæ
Palladis arma*

*Tollite cuncta, inquit, ceptosque
auferte labores*

Ætnæ Cyclopes.

Absit Phryne, recedat Venus, fu-
giant

VIII, 427

giant meretrices, serviamus Deo, doctrinæ pareamus, militares etiam viros defendamus, egent enim scientia nostra.

SUMMARIUM CAPITIS XXVII.

- 1 Res agitur pro fæminis, & demonstratur ipsas quandoque exercuisse militiam. Memorantur Marte inclitæ, famosæque mulieres, etiam Lusitane.
- 2 Describuntur, & nominantur fæmina Juris scientia clarissime, & quæ publice oraunt civili præditæ facundia. Fit primo mentio de spectabili Filia Accursii, quæ Leges docuit Bononiae.
- 3 Resolvitur Theologiam vincere nobilitate scientiam Juris, & ipsam Theologiam à fæminis non esse alienam.
- 4 Poesis nostrum conductit ad jus. Apparent mulieres Apolline coruscantes, ac carminibus celeberrimæ.
- 5 Loquimur de Olda Divinis Scripturis laudata. De novem Musis. De aliquibus fæminis famosis, quas Doctor Maximus altiori calamo evexit ad astra.
- 6 Mali Advocati sunt veluti Harpyiae immundæ, quæ omnia fædant contactu.
- 7 Advocati debent esse honesti, ac cultu virili spectabiles: Debent abhorrere fæmineos apparatus; & non debent apparere in audienciis ut fæmina, sed compositi ut viri.
- 8 Fæmina plerumque dant optimæ, & suavia consilia, ac ita possunt in materia juris consulere. Referuntur varia mulierum consilia, digna sane, quæ lapidi incidentur, cedrove noten-

- 9 Fit mentio de Augustissima Plotina Trajani Imperatoris uxore. De Placidia, ac de aliis.
- 10 Mulieres habent discretionem, prudentiam, & judicium, quod probatur ex divinis, ac humanais literis. Jurisconsulti gravissimi in Juris facultate sape a conjugibus consilium petiverunt.
- 11 De Socrate, Lacedæmoniis, & Germanis tractatur, qui consueverunt consilium à fæminis exposcere publice, ac privatim.
- 12 Resolvitur fæminas non posse advocare, vel postulare; quod clarum est. Justinianus Imperator, gravesque Authores pro consilio mulierum stant; & ita suadent textus expressi.
- 13 Proficit deterioris quandoque consilium: Quapropter etiam indocti plerumque audiendi sunt, qui doctos poterunt superare.
- 14 Interdum veluti revelatur minori quod maiori est absque dubio occultum. Advocati debent etiam consilium petere ab indoctis, audire insipientes, & clientes, nihilque spernere. In rebus agriculturae prædiatores, in contractibus mercatores; & sic de aliis.
- 15 Mulier non potest advocare propter sexus honestatem, consilii fragilitatem. Poterit tamen in camera consulere, & insimul quicumque alii postulare prohibentur. Exemplum ponitur in Cardinalibus, & Episcopis.

C A P U T XXVII.

Utrum Fæmina possit esse Advocata?
Quare de jure specialiter prohibetur! *Utrum possit consulere in camera, & privatim? utrum ejus consilium absolute, aut in materia Juris spernendum?* *An Advocati debeant consulere indebetos?*

Numquid etiam fæminæ clausum viris nostrum violabunt tractatum? Propter sexus honestatem scio ipsas plerumque abesse à judicio: ergo ab opere alienas melius rejicerem. Quia tamen non levia fundamenta hoc quæsito pro illis pugnant, ad quid intacta relinquam? Væ mihi! Ecce novi Advocati! en novum confurgit agmen! Si credant posse, quis eas arcebit à judicio?

velut agmine facto

Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.

I Pro illis argues sic: Fæminæ possunt esse milites: ergo poterunt esse Advocatæ; maxime cum Advocatus miles sit. Antecedens est certum, & probatur ex illo Virgilii *Obvia cui Volscorum acie comitante, Camilla*

Occurrit, portisque ab equo Regina sub ipsis

Desiluit: quam tota cohors imitata relicta

Ad terram defluxit equis: tum ralia fatur:

Turne, sui merito si qua est fiducia sorti,

Audeo, & Æneadum promitto occurrere turme.

Me sine prima manu tentare pericula belli.

Tu pedes ad muros subsiste, & mania serva.

Turnus ad hæc oculos horrenda in virgine fixus:

O decus Italie virgo!

De fæminis vero Lusitanis multo melius probari poterit ex Heroina illa Elisabetha Fernandes, quæ in Diensi obsidione jaculo acerrima Turcas plurimos potentes, armatosque hostes in limine stans detinuit intra domum, donec pervenit Dux eximus arcis D. Joannes Mascarenhas, qui gladio largo, umboneque rotundo fulmineus infans, hostes dorso præcipitavit miseros. Cæteræ etiam virtute summa istius ad exemplum loricis induitæ, telisque coruscantes crebro ause sunt sustinere impetus adversorum. Quid memorem Furnariam Aljubarrotæ tempore invictissimi D. D. Joannis Primi. Dicant Authores Iberi, utrum Lusitana mulier possit esse miles? Probent mortui, si vivi recusant; neque enim ego illius ictus probare vellem, sed ab ipsa fugerem, quantum pedes valerent. Quid tamen si curreret ut illa Camilla?

*pernicibus ignea plantis
Transit equum cursu, frænisque
adversa prehensis
Congreditur.*

Parceret Furnaria Lusitano homini cum tamen tales nostra terra gignat fæminas, videant exteri, quid ferus valeat Lusitanus in armis? His relicis, audi de antiqua Debora loquentem *Alcimum:*

*ut Debora quondam
Duxerit instruclas post fortia
classica turmas,
Et mulier sumpto præcederet agmina signo:*

Argues secundo: Filia Accursii nobilis illius Legum Interpretis docuit publice leges Bononiæ, ut tradit Alberic. in l. qui filium in finff. ubi pupil. educar deb. Cambra etiam formosa Belinii Britannorum Regis filia, librum legum Sicambriacarum composuit circa annum 373. ante Christum natum. Eugenia Philippi

lippi Romani filia omnibus artibus liberalibus fuit erudita. Eumonia Nasarri Rhetoris, atque Oratoris filia fuit Patri similis eloquentia. Quid Hortensiam memorem dignissimam Hortensii Oratoris Patris filiam, ac eloquii hæredem? Quid Hyptachiam, quæ super omnes Philosophos eminens Plotino in schola Platonica successit? Professa est Alexandriæ varia disciplinarum genera magno, & frequenti auditorio, imperante Arcadio, ut refert Suidas. Lælia C. Gracchi filia fuit antiquitus inter Oratores celebrata. Ipsa etiam Martia illius Hortensii uxor, mariti studia juvisse creditur. Martia Proba Britannorum Regina omnibus prope modum artibus liberalibus doctissima condidit, & scripsit leges patrias, quas Martianas vocarunt, easque Alphredus in Saxoniam linguam transtulit. Quid Palmyrenorum Reginam Zenobiam commorem, quæ sæpiissime habuit elegantissimas Orationes ad suos milites, Græci, & Agyptii sermonis peritissima, Legibusque clarissima? Ergo ex his omnibus manifeste sequitur, non esse fæminas benemeritas arcendas à nostro munere; neque enim à liberalibus artibus alienæ sunt: *l. qui filium in princip. ff. ubi pupil. educ. deb.* & videre poteris ex divinis literis; ut *Exod. 35.* velim tamen addas supradictis Aretaphilam Cyrenarum Pedi mi primum, deinde Nicostrati Cyrenarum tyrani uxor, quæ fuit civili facundia dotata, ut refert *Plutarch. in claris mulieribus c. 19.*

³ Argues tertio: Proculdubio quid quid ad Theologiam spectat, vincit nobilitatem juris; jus etenim Theologiæ cedit, ut est in confesso (nosco tamen duos Advocatos non malos Theologos) atqui etiam in divinis literis extitere mulieres

versatæ: ergo quas Theologia non rejicit, cur jus despiciat? Quid enim? Quis non novit, veneraturque S. Catharinam Alexandrinam, cuius illustris doctrina, eruditioque celebratur in disputacione, quam habuit adversus Doctores Ethnicos? Catharinæ etiam Senensis Divis adscriptæ, beatorumque albo extant plurimæ Epistolæ ad Gregorium undecimum, & non indocti in Theologia commentarii: Catharina alia Anglorum Regina scripsit librum meditationum in Psalmos, alterumque de lamentatione peccatoris.

Argues 4. ut infra dicemus cap. 52. Poesis etiam conducit ad juris utilitatem: atqui à fæminis non est aliena ars Poetica: ergo neque juris studium: ergo si studeant, poterunt advocare; quia cui conceditur labor, non denegatur præmium. Minor probatur, quia Themis invenit heroicum hexametrum, ut scribit Clemens *Alexandr. lib. I. Stromat.* Theophila suit Canio Poetae gratissima, & per Martialem celebrata *lib. 7. epigr. 69.*

Hæc est illa tibi promissa Theophila, cani,

Cujus Cecropia pectora dote mandent.

Hanc sibi jure petat magni senis Atticus hortus,

Nec minus esse suam Stoica turba velit.

Vivet opus quod umque per has emiseris auras,

Tam non famineum, nec populare sapit.

Non tua Pantænis nimium se preferat illi,

Quamvis Pierio sit bene nota choro.

Carmina fingentem Sappho laudavit amatrix:

Castior hæc, & non doctior illa fuit.

Timaris Regina scripsit opus, quæ

quæ Paneros dicitur. Timocleam Thebanam doctam agnovit D. Hieronymus ad finem libri I. in Jovinianum. Veronice Gambara Corrigiensis Princeps fulget poesi, simulque Victoria Columna Piscariæ Princeps. Phemenoe prima cecinit heroicum carmen, hymnumque Delphis composuit. Illius dictum est: *Nosce te ipsum.* Olimpias Thebana fuit vates, atque aliæ innumeræ.

5 Quid referam scientia versatam, & in divinis scripturis celebratam Oldam? Ut 2. Paralip. v. 22. cap. 34. qui simul à Rege missi fuerant ad Oldam prophetiden. Medicina etiam, & Historiis conspicuas mulieres quis non agnoscit? Quis non novem puellas? Sunt Clio, Euterpe, Thalia, Melpomene, Terpsichore, Erato, Polymnia, Vrania, Calliope. Quid ulterius? Jambe Jambicos versus excogitavit. Aliis scientiis ornatas referre immensus foret labor. Sufficit, quod D. Hieronymus celebrasset Paulam, Eustochium, & Fabiolam.

6 Argues 5. & lepide quidem, vel amare: Harpyas Advocatos quis omni tempore non novit? Dolor heu!

VIII 3, 215 de montibus adsunt
Harpyiae. & magnis quatunt
clangoribus alas,
Diripiuntque dapes, contactuque
omnia fedant
Immundo: tum vox teturum dira
inter odorem.

Quis non vellet calamo has jugulare volucres?

Sed neque vim plumis ullam, nec
vulnera tergo

Accipiunt.

Redeamus ad argumentum: atqui Harpyiae sunt virginei vultus; & fæmineæ: una in præcelsa confedit rupe Celeno: ergo.

7 Argues 6. Saltem per apparentiam poterit dari nostrum munus in fæminis; si nimirum in viris noscantur Advocatis fæminei appara-

tus, (quod illicitum, aut indecens esse probavi 26.c.) & extra modum luxus: atqui non sine dolore hæc cura aliquibus viris: ergo saltem per apparentiam potest verificari conclusio. Fugite ergo clarissimi Advocati ab hoc opprobrio, stude te, & vigilate, amate necessarium, & odio sit vobis superfluum; ego enim in aliquem non invehor, sed omnibus prodesse velim, & fæmineos exterminare apparatus, qui sunt indigni à viris togatis. Doctrina hæc sana est finis meus, & fortasse dum hæc legitis per curiositatem, licet meam methodum improbetis, penetretis veritatis virtutē. Miscebo ergo etiam utile dulci: opus est de jure, juris hæc sunt. Nolite esse Harpyiae, id est, estote justo contenti. Homines estis, & non fæminæ: vultu ergo, actionibus, loquela, vestibus, & omnibus virilem animum, modestiamque ostentate. Alias nulla erit differentia.

Argues septimo: Ideo removebitur fæmina, quia non censetur apta consilio; cum Advocatus isti debeat esse aptus: atqui hoc minime certum est. Probatur minor; quia non desunt fæminarum exempla, quarum consiliis, & monitionibus viri usi sunt; & conveniens ita esse demonstratum fuit. Sesotris Agyptiorum Rex, qui alios longe divitiis, & magnitudine superabat rerum, saepe uxoris consilio usus, seque ita, uxorem, & filios inopinatissimis periculis exemit. Memorabile illud est de uxore Pithei, qui Xerxis claruit temporibus. Ea viro erat cupiditas, sicut multis aliis hodie est, auri fodinas continuo cum mille hominibus exercere: cum ergo ex peregrinatione domum reversus esset, voluit manducare. Cæna paratur à conjugi, aurea apponitur mensa, omnia fabrefacta ex auro apparent

R ferebat in

in illa, & omne aurum. Pitheus mira arte singula elaborata conspiciens vociferatur se aurum non exposcere, fame enim vulneratus erat. At mulier diserte respondit. *Tu nullius rei habende præter aurum facultatem præbes; omnis enim virorum cura tuo jussu, hortatu, & exemplo in fodiendo auro occupata est; ita ut nemo jam agros colat, nemo fruges serat; neque sit olim venatus assiduus.* Hac uxoria castigatione abstinuit Pitheus, atque de auro non adeo posthac curavit.

9 Quantum consiliis Pompeia Plotina Trajani Imperatoris gloriam auxit? Ataulphus Gothorum Rex voluit Romam à se receptam funditus evertere, Gotthiamque nominare; sed suasu conjugis Placidæ placatus est. Ad virtutem Theodosii Imperatoris multum contulit uxor. Regnerus Danorum Rex Unithserici filii obitu contristatus mortem appetebat, atque sibi parabat.

8 Sed uxor virilem supergressa fiduciam, virum firmavit, animumque à mærore revocavit, perducitque arma impensis tractare, affirmans cruentos filii cineres non lachrymis, sed armis expiaturum; quod ille brevi tempore fecit discusso mæstitez habitu, depositisque doloris insignibus. Sic ab invalidis fortia quandoque roborantur ingenia. Quid dicam ego de Theodelinda Longobardorum Regina, ad quam D. Gregorius Dialogum de moribus edidit? Maritum fecit militarem, veritatisque lucem oculis admovit, & regno. Ergo ex his omnibus videtur sequi mulierem posse advocare. Neque tu de hoc rideas, aut putas quæstionem inanem: si enim indignum est eam excitare, cur Jus specialiter in ædicto prohibitorio de fæminis meminit, ut cap. vidisti?

10 Ad ulteriorem supradictorum

confirmationem, sufficit dicere; quod mulieres plurimum interdum judicii habent, & discretionis, ut satis insinuat *textus in l. cum Prætor ff. de judic.* Immo interdum etiam sapientiæ, & prudentiæ, ut probat Salomon Proverb. 14. *sapiens mulier ædificat domum suam,* & Proverb. 19. *Domus, & dñitiae dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens:* ergo Jurisprudentia non fugit à fæminis, adhuc teste optimo Judice Salomone; alioquin muliebrium vitiorum acerrimo censore: *tx. est in c. viduas ibi: maturioris sapientiæ, & consilii existunt 27. q. 1. & in c. Si aliquid 22. q. 4:* ubi prudentissimæ fæminæ fit sua mentio. Et quod possint salubre dare consilium probatur testimonio Jurisconsulti in *l. quidam decedens §. Papinianus ff. de administration. tutor. Corn. conf. 316.* Et doctissimæ Plotianæ respondisse Celsum, neque dignari, notant DD. per *l. Plotian. ff. de jur. dot.* Ipse Joan. Andr. in *c. cum secundum Apostol. col. 1. de Prob.* ab uxore Milancia se didicisse aliquæ fatetur; præcipue illud, quod si nomina, ut pleraque alia, in foro venditarentur pulchra, magno pretio à parentibus esse emenda; ut filiis imponerentur. Eamque ita ut doctissimam plerumque consuluisse testatur, in *c. qui prior col. penult. de reg. jur. lib. 6. Cald.* etiam consullebat uxorem, ut ipse affirmat in *c. ultim. de renunc.* & post eum *Bellam.* in *c. quidam col. 3. v. tertio quarto, eod. tit. & Panorm.* in *c. cum inter univers. in fin. de elect.*

Sic Socrates multa sè à Diotima muliere didicisse asserit. Ipsi Lacedæmonii Græcorum prudentissimi, & semper consultissimi non minus publica, quam privata consilia cum mulieribus communicabant. Et ut scribit Aristot. lib. Polit. 2. c. 7. multa in Lacedæmoniorum Principatu à mulie-

à mulieribus administrabantur. Apud priscos Athenienses fæminæ publicis consultationibus intererant. Germani etiam mulierum consilium numquam aspernantur, ut scribit Cornel. Tacit. in lib. de moribus Germanie. Et non desunt, qui eas amplissimis elogiis prosequantur ob ingenium, & maturitatem. Tempus est meam mentem proferre.

12 Clarum est (nec aliud speraretur) non posse mulieres advocate; ut est constans de jure, neque est necessarium dare rationes. Cur ergo (dicas) tempus trivi in simili quæstione? Respondebo libenter. Quia cum hodie multæ sint fæmina, & aliquæ bono genere natæ, quæ dotem non habent, vellem ipsas esse deditas studio sermonis latii, & juris, cum sciant ex dictis non esse incapaces. Ista tunc postquam in arte profecerint, si thalami (ut potius rear) non pertinent, poterunt nubere nostris Scholasticis, qui ex Monda graduati ad patrias accedunt. Quæ consolatio erit habere conjugem doctam? Magno erit auxilio marito; laboresque minuet, saltē scribendo: exemplum habemus in memoratis Jurisconsultis; & cum etiam Justinianus in arduis negotiis uxorem consilii participem faciebat, ut ille ingenuè professus est in auth. ut judic. sine quoq. suffrag. in princ. v. neque sufficiemus, quid vetat idem facere nostrum Advocatum? Prædictum locum Imperatoris enarrat Accursius in (communi hodie) verbo reverendissimam, affirmatque ab uxore petendum consilium, idem Host. in summa tit. de matrim. §. 1. col. 2. v. sed & in eo. Oldrad conf. 65. col. penult. Joan. Andr. in c. qui prior col. pen. de regulis juris lib. 6. Alberic. in l. adversus cod. de criminis expilat. heredit. Fulgos. & Jas. in l. 1. ff. de leg. Curt. Sen. in repet. l. si quis maior col. 3. n. 10. cod. de

transact. Put. in tract. de Syndicat. in rubric. de officio syndic. §. dicitur autem n. 5. tx. expressus in l. bene à Zenone sub fin. cod. de quadr. præscript. Barbat. in rubr. de consuet. col. 5. v. tu limita, & in clem. i. char. 6. de elect. Invalidum ergo licet sit plerumque mulieris consilium, multoties tamen rectum, suaveque est.

*Quo possit fieri modo, severa,
Ut vir pessimus omnium Charinus,
Unam rem, bene fecerit? Requiris.
Dicam sed cito. Quid Nerone peius?
Quid thermis melius Neronianus?*

Ex textu tamen eleganti in l. i. §. sed neque cod. de veter. jur. enuel. sequitur posse unius forsitan, & istius deterioris sententiam multos, & maiores in aliqua parte superare; quem textum aureum appellat Curt. senior consil. 57. col. 4. Barbat. conf. i. col. 19. lib. 3. Panormit. in c. i. col. ultim. extra de cōstit. Panormit. in c. Capellanus col. 2. extra de ferriis: tenet Conrad. in tract. de contractib. c. 4. in prima conclus. Apennensis in addit. ad librum Mesue c. de indigest. stomachi; ita ut per dictos DD. in hoc conclusio verificeatur respectu cujuscumque facultatis. Et facit illud Luc. 10.

*Abscondisti hæc à sapientibus, &
prudentibus, & revelasti ea parvulis.*

Interdum ergo revelatur minori, quod maior nescit: l. potiores c. de officio Rector. Provinc. c. esto subjectus ante fin. 95. dist. & c. si habes 24. q. 3. Sic quidam insipiens Parisiensis composit grandem controversiam egeni cuiusdam, & tabernarii. Cum etenim iste pecuniam ab egeno peteret, quoniam panem veluti suavius comedebat ad culinæ suæ fumum, & nidorem; judicavit fatuus tabernario solendum ex sono denarii. Quam quidem quæstionem nullus Senatus justius decidere potuisset. Ita Bartolus plerumque cum mercatoribus con-

ferebat. Et ita monet Speculat. in tit. de Advocat. §. nunc trahemus v. facto autem intellecto, ante fin. ut etiam minus peritos consulamus, quibuscum cōferre proficit aliquando; raro autem, ut potius reor: sic Scævola augur, & juris peritissimus suos consultores rejiciebat ad Furium, & Casellicum prædictatores. O grandes sæpe Prædictatores consulentes de vindemiis, Bacchique valore!

15 Jam vero redeundo ad principalem quæstionem: Quæres: cur mulier specialiter prohibeatur? Plurimæ sunt rationes: nempe fragilitas consilii; honestas sexus; & quia mulieres solum regulariter inseruiunt ad gubernandam domum; artes vero, jurisque studium viris competit. Quod ergo mulieribus conceditur, est solum posse consulere in Camera: Ita Philippus Dec. in l. fæmin. col. 2. v. tertio postulare ff. de regul. jur. & in l. 1. §. sexum ff. de postulando. & sic existimavit Decius fæminas non esse alienas à consilio, atque eruditio- ne, vel à juris bonis artibus. Et ratio generalis esse solet; quia qui prohibetur postulare, aut advocare, non censetur prohibitus ad consulendum in Camera, ut tradit Bartol. in l. 1. §. postulare ff. de postulando, & ibi Angel. Abbas in rubr. de postul. Mart. de jurisdict. 4. p. cent. 2. conf. 115. n. 13. Lusitanus Ægid. in suo director. Advocator. cap. 2. n. 5. ubi etiam citat nostrum Barbos. in remission. sic etiam Episcopi, & Cardinales quamvis Advocati esse non possint, gratis tam pro amicis suis poterunt in Camera consulere: l. quisquis v. non ad turpe compendium cod. de postulando. Cæpol. caut. 156. & 181. incip. In multis casibus. in fin.

SUMMARIUM CAPITIS XXVIII.

1 Agitur late de Dignitate Medicorum, & medicina. Christus Dominus fuit Medicus: Apostoli medicina sunt usi. D. Paulus, & D. Lucas fuerunt Medicorum. Laudes hic innumeræ Medicorum.

2 Ægyptii de Medicis creabant Sacerdotes: Trismegistus fuit Medicus, Rex, & Sacerdos. Plurimi Reges Medorum fuerunt Medicorum. Avicenna, & Sabiel Reges Arabiae hoc munere potiti. Adrianus Imperator, & pluri- mi ex Pontificibus supremis. Vide Late de hoc. Salomon fuit Medicus.

3 Medicinæ ars difficultis est. Quia aliquando incerta, ideo pulchrior est. Medicus ut talis sit, à generali Encyclopedia dependet. Talis ars extenditur ad pa- siones animæ.

4 Medicinæ usus apud sanos ho- nos. Sacra pagina ulterius probatur reverentia Medicis debita.

5 Jesus Dominus probavit neces- sitatem Medicorum: Ignari re- probantur, & qui mille cada- veribus per imperitiam implet sepulchra.

6 Cæteræ scientiæ dependent à Medicina. Probatur hic aperte, & de Theologia.

7 Juristæ sæpe ad clarissimos Medicos in mille casibus recur- runt. Hippocrates medicina ma- ximus author.

8 Advocatos esse nobiliores dicunt multi: Medicinæ scientia ad curationem corporis intendit. Scientia legalis ad curationem animi dirigitur. Secundum Phi- losophum facultas civilis hono- rabilior

rabilior est Medica. Alii ita distingunt. Civilis doctrina, quæ versatur in gerenda Republica nobilior est Medica, litigiosa minime. Reprobatur talis distinctionis. Communis stat sententia pro nostris Advocatis.

9 Medici Doctores gaudent iisdem prærogatiis, quibus fruuntur DD. aliarum facultatum. Et adde hic, quod etiam non DD. à paritate Advocatorum, qui Doctores non sunt; & tamen Doctorum privilegiis potiuntur.

10 Argumenta ex aliquibus legibus proponuntur contra Medicos, & eorum nobilitatem.

11 Facile illuduntur: Medici equi parantur docentibus leges.

12 Amplissima aliquorum Medicorum charitas: Licet Medici quandoque versentur circa sordida, illis approbrium non est. Laudatur factum quoddam (ad exemplum) serenissimi, Invictissimi, Clementissimi D. D. Joannis Primi Lusitaniae Regis Patriæ veri Patris.

C A P U T XXVIII.

Quisnam sit præstantior, Medicus, an Advocatus? Ubi de utriusque nobilitate.

1 Pro parte nobilissimorum Medicorum facit primo dignitas eorum officii, ac ministerii, Christus enim Dominus noster, Apostolique saepe medicina sunt usi, & de Christo narrant Evangelia, ut apud Mathæum cap. 8. 3. Extendens Iesum manum, tetigit eum dicens: volo, mundare. Et confessim mundata est lepra ejus. Et n. 6. 7. Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & male torquetur. Et ait illi Jesus: ego veniam, & curabo eum. Et ex hoc textu deducitur meo

videri proprium Medicorum officium, dicente enim Centurione, Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum; Christus tamen ire volebat, & sic faciunt Medici. Etiam apud eundem D. Mathæum cap. 9. 36. dicitur ibi curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. D. Lucas Evangelista, & D. Paulus Apostolus fuerunt Medici, ille in Civitate Damasci, ille vero in urbe Antiochia; vinique usum moderatum consulit Apostolus Thymotheo ep. ad istum prima c. 5. 23. Noli adhuc aquam bibere, sed modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates: En recipe Medici. Contigit Tobiae, cum quadam die fatigatus in domum veniret, & jactasset se juxta parietem, & obdormisset, quod ex nido hirundinum dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus, fieretque cæcus, ut constat ex libro Tob. cap. 2. Quis Medicus assistat Tobiae? Angelus: vide cap. 6. ibi Tunc dicit ei Angelus: Exventera hunc pisces, & cor ejus, & fel, & jecur repone tibi, sunt enim hac necessaria ad medicamenta utiliter: o magnum decus Medicorum! O officium amplissimum, quod exercere vel ipsi Angeli dignantur, dicente illo ibi. Fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sanabuntur. En iterum recipe Medicus. Et collyria. Ägyptii de Medicis creabant antiquitus Sacerdotes, & de illis Reges. Magnus Trismegistus fuit Medicus, Rex, & Sacerdos. Hinc dictum illud: Medicus non es, nolo te constituere Regem. Plurimi Medicorum Reges, fuerunt Medici. Avicenna etiam, Sabielque Reges Arabiæ, Meïus Rex Damasci, Persarum autem notissimus Mithridates. Similiter Adrianus Imperator, Hercules, Dionysius Rex Siciliæ.

ciliae. Inter antiqua monumenta apparent Medicorum honore cel- fūs Apollo; Chiron, Aesculapius, Apis, Osiris, & Isiris Deorum filii, si credendum foret Gentilitati. Quid numerem Pontifices, & Cardinales? Joannem 21. Lusitanum, Nicolaum 5. aut Ludovicum Patavinum ab Eugenio 4. purpura ornatum? Sufficit quod sapientissimus Rex Salomon à Libani cedro usque ad Elopum disputaret; & quod plurimi Sancti professi sunt Medicinam; & dixit alicubi *Homerus*:

Est Medicus prudens multis praestantior unus

Ille viris.

3 Est ars sane difficultis; Medicus etenim ex alienis doloribus, & miseriis sibi metit labores, doloresque pariformiter; & quamvis aliquando medicina sit incerta, nec ideo contemni debet, immo ex hoc arti gloria resultat, quia difficultia pulchra, secundum Platonem. Accedit, quod Medicus verus, & doctus quasi à generali Encyclopediā dependet, ad usus enim istius scientiæ præcise sunt, & essentia-liter necessariæ, vel saltem ad melius esse multæ aliæ disciplinæ, ut pote Grammatica, Rhetorica, Philosophia, Peritia Græca, Astronomia, Geometria, Geographia, Historia naturalis, Anatomia, Philosophia moralis in specie; ita ut Medicus non solum cognoscat corporis temperamentum, sed etiam animi consuetudinem, & passiones intrinsecas; hæc enim omnia desiderantur ad artem, & documenta:

Mentem sanari corpus ut aegrum,

Et pariter flecti medicina posse videmus.

4 Quapropter hoc dicto respondi cuidam Medico putanti artem non extendi ad passiones animæ. *Seneca dixit. lib. I. de Clement. 6. Medicina*

apud ægros usus, apud sanos homines existit. Et Sapiens Ecclesiast. c. cap. 38. in princ. ibi

Honora Medicum propter necessitatem, etenim illum creavit Altissimus. A Deo est enim omnis medella, & à Rege accipiet donationem. Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnorum collaudabitur. Altissimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa:

Jesus ipse Dominus noster insinuavit necessitatem Medicorum apud Marc. c. 2. 17. *Non necesse habent sani Medico, sed qui male habent.* Plures textus relinquimus, ne in re clara tempus terere videamur, & quia longis voluminibus indigerem ad laudandum clarissimum munus Dominorum Medicorum, & istorum (scias) numero me non comprehendere indoctos, ignavos, avaros, & superbos, qui sunt Reipublicæ terribiles, implentes quotannis mille cadaveribus sepulchra, tegente terra eorum errores.

Accedit, quod cæteræ scientiæ dependent à Medicina multoties; Theologi enim ad dispensandum Medicos interrogant; & quod magis est ad explanandos sensus allegoricos, & metaphoricos Sacrae Scripturæ; petuntque notitias herbæ, arborum, lapidum, animalium, ad quod scripsit suam Philosophiam sacram disertissimus Valles; & Doctor Moles librum alium, cui titulus *de morbis in sacris literis*: quapropter dixit *sancetus Gregorius lib. 4. de doctrina Medicinæ cognitione scientiis, & scripturis necessaria est.*

De Juristis certum est multoties ad Medicos recurrere, ad judicandum, & sententias ferendas circa impotentias, stupra, partus, venena, mortes violentas, & subitas;

vulnera, & plagas, aliosque casus. Ita decidit Bartol. in *I. Gallus in princ. n. 12. ff. de liber, & posthum.* & probat *tx. in I. septimo mense ff. de statu homin. ibi*

Propter authoritatem sapientissimi viri Hippocratis.

Phæb. I. p. decis. 51. Et de hoc nemo potest dubitare; ex quibus omnibus aperte sequitur Medicos nullis aliis esse secundos.

8 His tamen non obstantibus, dicunt multi Advocatos esse nobiliores, ut per *Mozz. de contract. tit. de locat. in princ. n. 16. Græu. ad pract. Camer. Imper. lib. I. c. 43. n. 6. Peg. ad Ord. lib. I. tit. 48. glof. I. n. 14. ubi. citat. Carvalh.* ad quem ego lectorem remitto. Et est ratio horum principalis; quia medicinae scientia præcise ad curationem corporis intendit, scientia vero legalis principaliter ad curationem animi dirigitur; & hoc argumentum est insolubile; & facit pro nobis doctrina Philosophi 2. Eth. cap. 10. *ibi facultas civilis honorabilior medica est, atque prefabilior.* Valles vero de sacra Philosophia cap. 74. ad fin. medium, distinguendo, sequitur viam; vel enim civilis doctrina versatur in gerenda Republica, hancque nobiliorem medica agnoscit, vel est litigiosa, quæ in agendis causis versatur, huicque anteponit medicinam. Ego talem rejicio distinctionem, utraque enim civilis facultas quocumque modo supponatur, semper tendit ad eundem finem; & licet Medici laudes, Medicinæque utilitatem noscam, a communi sententia recedere non possum, cum hac tamen limitatione, scilicet me super hoc relinquere reservatum jus cuicunque Medico, quo eam ad futurum, si Deus vitam dederit, talem enim me nobiliorem agnosco, libenterque illi ex nunc jam cedimus: viciisti, tua est laus,

& gloria sola: Tu mihi Rex, dum milero parcas, librisque meis,
Multa Tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.

Interim tamen à Te liberet me Dominus Deus Omnipotens. Hoc tamen dictum intelligas gratiæ gratia; vehementer enim veneror Medicos, & non est dubium, quod si sint Doctores, gaudeant eisdem prærogativis, quibus fruuntur DD. aliarum facultatum: *Ord. lib. 5. tit. 120. Ord. lib. I. tit. 66. §. 42. Carvalh. ad cap. Raynald. de testam. p. I. n. 296.* quidquid contrarium teneant sine fundamento Faber, & Turtur ab ipso citati.

Non moveor ad auferendam Medicis nobilitatem, *ex tx. in I. ultima ff. de jure immunit;* ubi inter omnes alias mechanicas artes Medicina recensetur: ergo videtur superflua hæc quæstio, si enim Medici, ut textus ait, non sunt nobiles, ad quid comparatio? Nec etiam suadeor *ex tx. in I. ambitios. ff. de Decretis ab ordin.* ubi subtiliter Jurisconsultus videtur per disjunctivam separare medicinam à liberalibus artibus; & facit *I. Thais 40. §. Lucius ff. de fidei comis. lib. I. aliment §. I. ff. de aliment; & c. ib. legat. I. seio §. ultim. ff. de annuis legat.* *I. Patronus §. item plerumque ff. de oper. libertor. ultim. cod. commun. delegat. I. §. ne autem cod. de commun. seru. manus;* quibus omnibus Medici interservos connumerantur. Multa de hac *Tiraquel. de nobilit cap. 31. à n. 408.*

Ad supradicta enim omnia facile respondetur, esse intelligenda aliqua de Chirurgis, altera vero de Medicis captiis, qui servi manebant de jure civili, sicut quicunque nobilissimi; aliquando de servis Imperatorum, quorum qui servi sunt, Domini sunt. Medici aquiparantur docentibus leges: *I. Medicos*

dicos cod. de professor; & Medic. lib. I. & sunt immunes à tributis plebeiorum: l. maximar. cod. de excusat. muner. & anteponuntur ipsis Advocatis in cap. non sane 14. 9. 6.

12 Ad illud, quod circa sordida excrementa mortalium versentur, ita ut aliquando illa degustarent, ut refert Carvalh. ubi supra n. 298. censeo ipsis non esse vertendum in opprobrium, sed redundare in magnam illorum charitatem, alioquin amplissimum suum decus ammitteret Joannes primus Portugaliæ Rex potentissimus; quia degustavit etiam urinam, quam Medici Ducem quemdam eximium bibere decernebant, qui cum præ tædio recusaret, Rex pius, ostendensque eximium amorem, cœpit bibere; quod æternum laudabile erit. Si Medici nobilitatem dicere vellem, faciem tractatum immensum; sed nec ideo parum felices nobis secundi; & ego omnibus illis.

SUMMARIUM CAPITIS XXIX

1 Multi desiderio desiderant esse Judices. Officium Judicis periculose etiam declaratur; & multa ad rem attinentia referuntur. Judicum procella est maior, & etiam optimi in tempestibus vivunt quandoque.

2 Probatur idem per allegorias. Difficultas vivendi in Magistratibus panditur.

3 De dicto Demosthenis: Sectæ Epicureorum, & Stoicorum in hoc: Lusitana Respublica laudatur, & excipitur.

4 De variis aliis agitur: Curantes aliena negotia sani agrotant.

5 Advocati officium est periculose.

7 Judices in maiori periculo versantur, maiores, & numero plures habent inimicos. Multi Judices laudatur; & ipsorum officium nimis meritorium reputatur.

8 Mens debet esse in quiete, paceque frui: Dulcis quandoque bonos est carere honoribus: Ob apparentiam, & pompam nemo disertus, velit esse Judex.

9 Advocati non debent appetere esse Judices, ita ut hoc desiderio ferantur abhorrentes Advocationis nobile munus: Si requisita habeat ut Judex sit, laudabile est virgam querere: Lusitani tolluntur ad astra Senatores.

10 Lusitania dat leges Orbi, hoc est, in quatuor mundi angulis Judices ponit. Habet Senatus Europa, Asia, & America; nec non & Africa gubernat: Ordinatio Lusitana invitat Advocatos ad judicandum: Hoc Advocati nostri querere debent, non appetere: Appetitu proprio ducente, nemo securus tendit ad Dignitates: Et probatur notabiliter.

11 Prosequitur intentum per sacram scripturæ campum suaviter olentem.

12 Metuenda Reipublicæ quævis dominatio, quæ ambitu, aut muneribus, & sic violentia sit acquisita: Qui Magistratum pertinent Deo non vocante, evadent lupi rapaces.

13 De eodem; & clauditur caput notabilibus Sententiis: Ultimo laudatur iterum noster Lusitanæ pulcherrimus Senatus, & Domus Supplicationis:

CAPUT XXIX.

An nostri Advocati debeant appetere esse Judices? Ubi miris doctrinis docetur quomodo cathedrae, & Magistratus querendi, sive ab Advocatis, seu ab aliis: De periculis Judicum obiter tractatur.

Hoc multis inexplicabile desiderium, regere nempe, & subditos habere; quapropter ad Magistratus maxime, ac Tribunalia convolare cordi plurimis est. Si etenim præcipere possumus (dicunt illi) quare obediamus? Ita Advocatos servos quasi faciunt, Judices vero Dominos. Sed *Ecclesiast. cap. 7. ait. Noli querere ab homine ducatum, neque à Rege cathedram honoris.* Si homines ergo cogitarent, quomodo rectores, & Judices pro subjectorum peccatis coguntur reddere rationem, numquam cuperent, neque certe ambirent populi regimen, aureasque licet ferre sententias. Sufficit mihi pro propriis argui delitis, sufficit mihi pro metipso, & peccatis meis reddere rationem: quid ergo pro populi delictis puniar, si negligens, ac defes fui, si dissimulavi, si non correxi? Mundani Magistratus raro demonstrant virtutes Christianorum; quin potius frequenter habent accusationem malitiæ; quoniam & solicitudines amicorum, & adulaciones, & alia permulta his fædiora tales Magistratus solent conciliare. Si mihi non credis, lege *D. Chrysostomum in Orat. de beat. Philogon;* ubi ita asserit. *Idem D. adversus vituperatores vitæ monastice sic ait vellem equidem, & frequenter optavi, ac deprecatus sum, tanrum leges, ac jura optima in civitatibus valere, ut nihil jam opus esset monasteriis; neque ad*

eremum configere cuiquam necessitas instaret. Quoniam vero quæ supra fuerunt, infra jam facta sunt, ipsæque civitates, in quibus & judicia, & leges erant, omni iniquitate, & scelere impletæ sunt; solidudo vero philosophie fructus uberrimos germinat, profecto illi non in culpa sunt, qui hac procella, & turbine se eximere, atque servare cupientes educunt: Ergo cur aliquis appetat vehementer esse Judex? Sed quoniam à dictis non sunt immunes Advocati, quorum etiam datur numerus pessimus; cum pariformiter sint Judices egregii, & laudabilis vitæ, dicet aliquis à nobis dicta non concludere. Advocate, si potes capere, cape. Maior Judicum est procella, turritis enim pupibus instant, & ut Poetæ Lusitani verbis utar:

Por mares nunca dantes navegados

Passaraõ muito alem da Taprobana.

Hoc est, in tempestatibus vivunt etiam optimi.

De Judicibus (nec mireris) intellico *Virgilii carmen Aeneid 1.* licet enim de illis non loqueretur, certe non minores patiuntur tempestates, & possunt ad ipsos accommodari carmina. Volo tamen illa intelligas pro nunc de periculis nostrorum Advocatorum

Talia jaclanti stridens Aquilone procella

Velum adversa ferit, fluctusque ad sydera tollit.

Franguntur remi, tum prora avertit, & undis

Dat latus, insequitur cumulo preruptus aquæ mons!

Hi summo in fluctu pendent, his unda debiscens

Terram inter fluctus aperit; furrit æstus arenis.

Tres notus abreptas in saxa latentia torquet;

I, 103a/18

106

Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus aras.
Dorsum immane mari summo : tres Eurus ab alto
In brevia, & syrtes urget (misérabile visu)
Illiditque vadis, atque aggere cingit arenæ.
Unam, quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem,
Ipsius ante oculos ingens à vertice pontus
In puppim ferit, excutitur, pronusque Magister
Voluitur in caput : ast illum fluctus ibidem
Torquet agens circum, & raptus vorat æquore vortex.
Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Hoc est rari non habent æmulos;
 & destruere volentes.

3 Vir ipse justus si quando Magistratu fungitur, & si ei nulla alia jactura contigerit, hæc saltem illi non deest, ut res ejus domesticæ deterius per negligentiam disponantur: ex publico autem nihil, propterea quod sit justus. Fateantur hanc veritatem ipsi Judices recti, & egregii, bonæque famæ, quos testes appello, atque ipsum Platonem lib. I. de Republ. Bonis patrimonialibus vivunt, & divitias proprias consumunt, quin ad solvendas domos, si forte secundum dignitatem locaverint, officium eorum, ac clarissimum munus sit sufficiens. Dicant hæc ipsi Domini Senatores, qui si divites non essent, quomodo viverent? Quare uniusquisque, qui non amens sit, potius eligit aliun sibi prodefesse, quam dum aliis ipse consultit, multis se negotiis implicare, secundum Platonem, ubi supra. Hæc tamen non vellem rigorose intellegas, pando enim meam mentem, & cognitionem; quisque aliis suam sequatur viam, laudabile enim

similiter est aspirare ad amplissima munera, hocque est regii pectoris, sanguinisque clari. Ego quia his dotibus non fruor, fortasse quando sufficientem pecuniam dat mea rudis Minerva, contentus maneo, Judicibusque non invideo: *Fortuna memorem me decet esse meæ.*

Ast si credimus Plutarcho in Demosthene, de isto refert, quod adeuntes ad se juvenes monere solebat, ne se conferrent ad Rempublicam; affirmans, quod si duæ essent viæ ab initio positæ, una, quæ ad Rempublicam, altera, quæ ad interitum aperte ferret, essentque manifesta illa, quæ gerentes Respublicas subire oportet, formidines nempe, invidias, odia, calumnias, contentiones, certamina, illam potius electuros esse homines, quæ ad interitum ferret. Duæ in hac re dissident maximæ sectæ, Epicureorum nempe, & Stoicorum. Epicurus ait: *non accedit ad Rempublicam sapiens, nisi si quid intervenerit.* Zenon ait: *accedit ad Rempublicam, nisi si quid impedierit*, sic alter otium ex proposito petit, alter ex causa. Causa autem late illa patet, si Respublica corruptior est, quam ut adjuvari possit. Non nitetur sapiens in supervacuum, nec se nihil profuturis impendet: si parum habebit auctoritatis, aut virium, nec illum erit admissura Respublica, si valentudo illum impediet. Nota tamen quod cum Lusitana Respublica, Lysiumque regnum sit semper, præcipue hodie bene gubernatum, adaptari specialiter supradicta non possunt; quapropter intelligent de alia, ut v. g. de Othomana; ac Lunatica; sufficit enim mihi in aliquo sensu prodefesse. Intelligent secundo quicumque legerint, me non approbare sectas, Christianus enim sum; ast dicta gentilitatis, & eorum sententias allegare nemo formidat

casu, quo non sunt absontæ.

5 Sed ad quam Rempublicam accedunt sapientes? Ad Atheniensium? In ista fuit Socrates damnatus, & Aristoteles ne damnaretur, fugit. Invidia nēpe virtutes opprimit: ideo à Senatu motos (aliquando dixi ego nō sinistrè) capite nō minui cōstat. Ergo ad Carthaginensē convolabimus? In ista vero (& ubi sunt?) assidua sedatio, & optimo cuique infesta libertas, adversus hostes inhumana crudelitas, etiam adversus suos hostilitas. Quis singulas antiquas percenseat? nulla quæ sapientem, nulla quam sapiens pati posset. Hæc tamen, iterum dico, sunt in curiositatem legentium, & amantium antiquitates; si enim ad præsens tempus attendamus, multæ sunt bene gubernatæ; & quod sint aliqui mali, hominum est conditio. Judas etiam fuit malus, cum esset Discipulus Christi, atque inter Apostolos: quid ergo mirerur? Ubique boni, ubique mali. Semper pessimi, & depravati, semper justi, & honorati; & cum debita moderatione omnia procedunt. Audi D. August. epist. 113. Justa, & officiosa, & pro suo genere pacatior, atque tranquillior rerum temporalium administratio, recipiendorum aeternorum meritum gignit; si non teneat, cum tenetur, nec implicit, cum multiplicatur, si non cum pacatur, involvat sed ait Beda in collectaneis:

Hi sani agrotant, qui aliena negotia curant.

6 Hæc tamen (instabis) spectant etiam ad Advocatos, sicut dictum illud Gregor. in Evang. homil. 17. ibi curis sacerdotalibus intenti, tanto insensibiores intus efficiuntur, quanto ad ea, quæ foris sunt studiores videntur; usū quippe curæ terrena, à cœlesti desiderio obduruscit animus, & dum ipso suo usū durus efficitur per actionem saceruli,

ad ea emoliri non valet, quæ pertinent ad charitatem Dei.

Utrumque officium periculosest; sed certe supradicta suum habent sensum, & solum probant bonam esse tranquillitatem; & periculum accedendi ad Rempublicam: unde cum Judices magis propinqui proculdubio sint, & in maiori gradu, magis est verendum. Fateor tamen innumerabiles ab hoc periculo liberari habentes semper ante oculos æternitatem; immo ipsis grandissimn à Domino dabitus præmium ob hoc, nempe quia innumerabilibus negotiis impliciti, Deo ipsi bene serviunt, & hominibus; neque omnes possumus confugere ad Eremum; immo in medio Civitatis, negotiorum, & tumultus potest quis esse quietus, pacificus; & interea multum laborare, & sudare: aliter non essent qui Rempublicas gubernarent, Senatus, Monasteria, Episcopatus; quod quis ferret? Regum plurimi sancti, Gubernatorum justi, Senatorum boni, Judicium pii, Advocatorum beati; & omnibus suis honos debetur; multæ enim sunt viæ ad celum Olympum. Utinam ingrediamur omnes! Sed nemo coronabitur, nisi qui legitime prius certaverit. Qui plures ergo vicerit hostes, melius triumphet: Judex autem certe maiores habet inimicos, & exercitum nimis grandem, & potentem contra se.

Feratur ergo quisque secundum vires: ego quia debilis sum, certe non appeto. Utinam non Advocatus, sed Gamgaba forem! Si quis dicat, cur ita non exerceo, respondeo me parvum esse Atlantem; aliter humeris onera portarem; maius enim est mihi hoc jugum; non leve, neque suave. Sed mea culpa est. Non memini, scias, latorve malorum. Bene Eccl; quem diu legeram cap. II. Fili ne

in multis sint actus tui, id est, ne te implices negotiis multis. Bene mihi dixerat D. Basilius Magnus epistol. i. convenit conari, ut mentem in quiete habeamus. Quemadmodum enim oculum assidue circumactum, & nunc in obliqua circumlatum, nunc sursum, ac deorsum frequenter transversum, impossibile est evidenter videre, sed visum applicari opportet rei objectæ, si certam ipsius inspectionem facere debeat: sic & hominis mentem ab infinitis mundi curis distractam impossibile est evidenter veritati intentam esse: selectissima mihi Politiani carmina;

Felix ille animi, Divisque similis ip sis,

Quem non mendaci respondens gloria fuso

Sollicitat non fastosi mala gaudia luxus:

Sed tacitos sinit ire dies, & paupere cultu

Urbe procul, voti exiguis, fortisque benignus

Ipse suam fovet, ac modico contentus acervo;

Non spes corde avidas, non curram pascit inanem,

Securus quo Sceptra cadant.

O gratissima quies! O dulcis honos, carere honoribus!

His tamen non obstantibus, distinguendum est, & dicendum, Advocatos non debere appetere ita taliter, quod despiciant suum munus, Advocati enim officium multum laudabile est. Et quamvis judicare honorabilius sit, attamen alta circumspectione indiget.

Centum fronte oculos, centum cervice gerebat

Argus, & bos omnes sepe fellit amor.

Unde si requisitis non fruaris, neque dives sis, Advocate, raro te relinquere officium patiar. Non appetas ergo, idest non contristeris;

quia Advocatus es, & non Judex. Si tamen potes, & talenta habes, talentis utere, luceatque magis lux tua. Hac luce fulgent hodie quotquot Domini in nostro Lusitano Senatu veluti Sydera sunt. Hivere frementem Aeolum irrident. Nostris Lusitanis est datum pelagi Imperium, itaque ad tempestates Lysii Judices respondent.

Non illi imperium pelagi, saevumque tridentem,

Sed mihi sorte datum: tenet ille immania saxa,

Vestrás, Eure domos, illa se jaet in aula.

Aeolus, & clauso ventorum carcere regnet.

Sic ait, & dicto citius tumida aquora placat,

Collectaque fugat nubes, sole que reducit.

En, ergo, Terra, Mareque, 10 Lusitani Judices, vobis paret: Vos Indiæ, Brasiliæque pulcherrimi Senatus poscunt. Africa etiam petit: Ergo Lusitania dat toti orbi leges, vel qua se pandit vastissima America, vel qua Ganges tumidus aquis, Indusque fervent; Asiæque ostentant Imperia. Quid ulterius? Ipsa Ordinatio Lusitana invitat Advocatos ad judicandum, dum Judicibus æquiparat, ut notavimus cap. i. Quærite ergo, non rigorose appetatis: Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri, & nudiustertius, mitte quem missurus es Exod. c. 4. v. 20. ubi Gregor. i. p. Past. c. 7. Hic ergo quique præcipites colligant, cum quanta culpa ex appetitu proprio ceteris præesse non metuant, si Sancti viri plebeium ducatum, Deo etiam jubente, timuerunt. Moy ses trepidat, suadente Domino; & infirmus quisque ut honoris opus suscipiat, anhelat? Te ipsum portare vix potes, nec supra pedes tuos stare, & humerum ponderibus submittis alienis: quæ egisti ferre non vales,

wales, & auges quæ portes

11 Adamus extra paradisum fuit formatus, ut volunt Interpretes. Non audet paradisum se motore ingredi; sed Deum sperat: *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiſo voluptatis.* Sic Numinis singulari quodam imperio transvectus. Quid ergo, Advocati, & qui qui alii formati adstatis, proprio desiderio, immoderatoque ardore ad judicium tenditis, velut ad Paradisum; cum ita ruentes, nec vos cognoscatis euntes. Afflati tendite virtute, & eo modo, quo supra insinuat *D. Ambrosius*: *Apprehendit ergo eum virtus Dei spirans processus, & incrementa virtutis;* & in paradiſo eum collocavit, ut scias apprehensum quasi afflatum divina virtute.

12 Metuenda ergo est Reipublicæ dominatio, quæ ambitu, violentia, aut muneribus acquisita est, & cuius non Author est Deus: *Os. cap. 4. v. 3.* conqueritur Numen de Hebræis. Sed quare? *Gregor. Pap. l. p. Past. c. 1.* *Ex se namque, & non ex arbitrio summi Rectoris regnant,* qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupiditate accensi culmen regiminis rapiunt, potius quam asequuntur. Sine Domini placito Noe non exivit de arca: *Locutus est autem Deus ad Noe dicens: egredere de arca tu.* *Genes. c. 8. v. 15* Ergo sine Dei inspiratione nolite, Advocati, exire à Domo, & munere, quod vobis pro arca est. Arca hæc tamen nostra non parvis tempestatibus acta est. Adonias repellitur à sceptro. Quid hoc? *Ætatis, & primogeniturae titulis* debetur ei regnum: quare ergo Salomon præfertur, soliumque occupat paternum? Nimirum Adonias anhelabat ad Magistratum, & quasi per vim, & tumultum nitebatur salutari Imperator: Salomon

sapiens, & vel ideo oneris pavidus, nihil sollicitavit: David igitur sciens infaustam procedere gubernationem, quando non per ostium est ingressus, Deo vocante; nam tales lupi rapaces evadere consueverunt, rejecit Adoniam, qui impetu, & voluntate regnare desiderabat, & appetebat; Salomonem vero nihil ambientem hæredem nuntiavit. Hoc jucicum, boni Advocati, maneat alta mente reposum. Vestro munere contenti estote licet periculoſo. Judicem in maioribus periculis versari ne dubitetis, quidquid contra alios teneat *Ægidius in suo directorio Advocator. c. 14. n. 5.* Si tamen requisitsi ad judicandum polles, quis te experitum Advocatum Judicem non ardeat? Ardeant tamen illi, non tu ardeas, quære, sed non appete, pete, sed non postula. utrum vero hæc ita fieri possint? Tu cogabis.

Qui appetit esse Judex, inani gloria tendit, qui querit, laudabiliter agit, si aptus est. Quia petit, modeſtè facit, qui postulat plerumque fallitur. Hoc scio: Judicis officium esse valde meritorium, nostram Lusitaniam Judicibus, ac integrim Senatoribus pollere: unde si Magistratus appetendi, Lysii sine controversia amandi: ast tu utere delectu, moderamineque, & quo te Deus vocaverit, viam dirige, & esto obediens. Ego neque Judex, neque Advocatus esse vellem; sed non possum defilere cæptis. De me prudenter timeo, sum enim hebetis ingenii; quidquid tamen viribus possim proficere tentabo, vel ut clientibus serviam, vel ut causas decidam, si ita intelligam in Domino, sine quo nihil bonum esse potest. Hoc ducente, Lusitani Senatores, à periculis remoti in Domo supplicationis disertè judicatis, Patriæ Patres, Civium amantes, Mīnervæ chria:

Scili-

Scilicet hæc vobis inter caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

SUMMARIUM CAPITIS XXX.

- 1 Aliqui tenent privilegia Doctoribus concessa solum comprehenre Magistros actu legentes: Contraria tamen firmatur opinio: Exercentes advocationis officium dictis privilegiis condecorantur.
- 2 Advocati Doctoribus actu legentibus equiparantur, & nullum fere inter unos, & alteros est discriminem: Domus Advocati est oraculum Civitatis: Cavendum ab aliquibus oraculis, & pulcherrimis Virgilii carminibus hoc significatur.
- 3 Cives de rebus incerti per nos-tros docentur Advocatos: Quilibet Aduocatus Praeceptor appellatur: Advocati laboribus subveniunt alienis, ac alienæ utilitati: Senatores Amplissimi non dignantur eorum scripta legere, & perlegere, ac aliquando laudibus extollere. Qui nec actu legunt, nec munus advocationis exercent, dictis non gaudent privilegiis.
- 4 Argumentum proponitur pro Doctoribus, & illiditur.
- 5 Gratiani panduntur elegantia verba contra Doctores, qui scientia non fulgent, sed solo gradu, & muneris excellentia.
- 6 Doctores Collimbriensis Academiae latè celebrantur, & præcipue qui fulgent in præclarissimis Collegiis D. Petri, & D. Pauli. Paupertas deploratur infesta scientiae.
- 7 Prædicti Domini College ut antiqui Magistri ab Advocatis debent amari summa veneratione,

- 8 Primum Epigramma proponitur in laudem Illusterrimi DD. Didaci Fernandes de Almeida.
- 9 Secundum Epigramma, quo Nomina Excellentissimorum Comitum do Assumar. Dic quibus in terris inscripti nomina Regum Nascantur flores? Hic habe.
- 10 Tertium Epigramma.

Additio.

Tu vero notabis me æqualiter venerari unos, & alteros Dominos de ambobus Collegiis. Mihi fuit. Magister Nobilissimus DD. Sylvester da Silva Peixoto, æternum Lusitanæ desiderium, quo Praeceptore nullus maior, & cujus anima requiescat in deliciis Paradisi.

O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus, & quantum sat erit tua dicere facta;
Non me carminibus vincet nec
Thracus Orpheus!

C A P U T XXX.

Utrum privilegia Doctorum competant Advocatis? Utrum Doctoribus actu legentibus equiparemur? De Collegiis Academiæ Collimbriensis, & reverentia debita unis, ac alteris Dominis de illis.

Bartolus in L. Medicus. l. 6. cod. de Professor, & Medic. lib. 10. Idem in L. unic. cod. de mulier; & in quo loc. l. 10. cum aliis per Jason. in l. ad egregiai col. fin. de jurejur. tenent privilegia Doctoribus concessa solum comprehendere Magistros actu legentes. Contraria tamen obtinuit opinio, & dicendum est, etiam non legentes, dummodo exerceant advocationis officium, frui dictis privilegiis, solumque potest stare Bartoli opinio in illis, qui nihil penitus agunt, sed otio traditi sunt; ut declarat Alex.

Theologicus, Juridicus.

143

Alex. in l. centurio n. 17. ff. de vulgar. substit. Roland. cons. 63. n. 36. cum seq. lib. 2. Franc. Marc. d. 638. p. 1. Felin; & Anan. in c. 1. de Magistr. Natt. qui communem testatur cons. 65. pertotum; ubi ampliat ad fratres, & socios bonorum, affirmatque gaudere immunitate nostris Doctoribus concessa. Latius idem Natt. cons. 1. n. 10. & 11. post. Bald. in ad tit ad Speculat. in tit. de Magistr. in fin. Itaque ex hoc capite acquisita per filium familias Advocatum habentur pro castrensi peculio: Bartol. in l. fori tui 4. cod. de Advocat. divisor. judic. Bald. in lib. ultim. ad fin n. 3. cod. de inoffic. testam.

² Accedit, quia Advocati vel ipsis Doctoribus actu legentibus æquiperantur, & nullum inter istos, si bene ponderes, est discriminem, cum Advocati dicantur jura docere instituendo clientulos, & de jure aperto ipsis respondendo, vagumque saepe habemus examen: Ac ut Cicer. 1. de Orat. ait: *Damus uniuscujusque Jurisconsulti est Oraculum Civitatis: ergo nostrum nomen magnum est, atque Advocatorum penetrale celebratum Oraculum. Cave tamen ab aliquibus, Lector, Oraculis:*

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sybilla

Horrendas canit ambages, antroque remugit,

Obscuris vera involvens: ea fræna furenti

Concutit, & stimulos sub pectore vertit Apollo.

Ut primum cessit furor, & rabiada ora quierunt,

Incipit:

³ Sed quandoque cives de rebus incerti per eos certi exeunt, aliquando vero magis dubii. *Baldus tamen in l. 1. in princ. col fin. de just. & jur.* appellat quemlibet Jurisconsultum Praceptorum; atque

ita etiam doctissimus Nat. conf. I. n. 1. Et consulentes certe dicuntur Juris Professores: l. 2. §. juris civiles de Orig. jur & nihil est dignius officio boni Advocati; qui laboribus subveniunt alienis, ac utilitati aliorum summo consulunt studio, die, nocteque legendo; immo meliores habent auditores, Judices nempe egregios, eximiosque Senatores, qui non dedignantur eorum Scripta videre, & aliquando laudibus summis extollere; ut ipse ego plures expertus sum; quod tamen de me dictum, eorum clementiae attribuo. Non spectent ergo privilegia ad illos qui nec actu legunt, nec munus advocationis exercent. Absit tamen, quod nostris decoris non competent Advocatis. Qui sua vocatione relicta, alienis negotiis, & rebus ad sui gradus dignitatem non spectantibus se immiscent, dictis privilegiis fiunt indigni; nullatenus nostri clarissimi Advocati: *Grat. for. cap. 186. n. 23.* sic etiam privilegiis nostris frui non debent Doctorelli celeberrimi sua ignorantia, ut vel ipsis notum est, si proprium deponant amorem.

Verum contra me instabunt tumidi lauro Doctores: Nos consecuti sumus Doctoratum multa pecunia, & plurimis factis expensis, sumusque vere Doctores: Advocati sunt Licentiati; & rigorose non sunt Doctores. Nos hederis ornati particulare habuimus examen. Grande argumentum, Domini Doctores! Etiam ego vestrum gradum suscipi perem, si pecunias promptas haberem, de quo tamen adhuc in tali eventu dubito, ad quid enim perditio hæc? Num si Doctor essem, magis disertus forem? Minime. Ignarus sum sane. Si Doctor sim, dabis mihi infusam scientiam? Non potui ego sustinere graves expensas, quas vos fecistis. Cur ergo frauder privilegiis? Parcite, quæso, & non

non addatis afflito novam afflictionem: Non ego ob causam fugiendo examen Doctor non fui; subirem enim libenter; immo tibi arguenti facerem oppositionem. Hæc non ego, sed tu dicas.

Vixit, cui vitam Deus, aut sua dextra dedisset.

5 Repetam tamen notabilia verba Gratian. for. cap. 186. ubi de Doctoribus loquitur, referendo Mandos; & n. 79 ibi

Hodie est ea temporum nequitia, ut non desint qui perveniant ad gradum Doctoratus etiam in studiis famosis, qui adeo sunt ignari, ut neque sciant prima legum elementa, nec rubricas juris canonici, & civilis.

6 Verum ego, ut verum fatear, semper honorabo Dominos Doctores, quos omni tempore famosos nostra genuit Collimbriensis Academia, præcipue illos, qui ex Collegiis sunt, duo enim Collegia famosa Conimbricæ novimus insignibus viris potentia, nobilitate conspicua, totumque celebrata per orbem:

His amor unus erat, pariterque in bella ruebant. Quicumque attingit limen est Sapientium ex numero electus, ac posteris fama. Viriliter contendunt Collegæ radiis scientiæ coruscantes. Dicit tamen Gratianus, ubi supra, quod etiam pauperes sine ulla expensa fieri poterunt Doctores in Universitatibus, & gratis, & sic multoties hanc dari dignitatem. Si tamen aliquis hoc tempore pauper declaretur, de hocque ab illo detur confessio, quæ magna probatio certe est, securus non reputetur; qui enim ut pauper habitus est, plerumque ignarus censetur. O Advocati, grandes emite bibliothecas, currum habetote, insignesque vestes, & sic Doctoribus non invidete. Interea ego temporis hujus habitu incedam.

Quoniam verò hic de Doctoribus diximus, & quod gratis consequantur Scholastici gradum in Universitatibus, sciendum est hoc ita fuisse; & practicari debere. Immo ipsa Universitatis Collimbriensis Collegia, Divi Pauli, & Divi Petri videntur sapientibus, & pauperibus destinata, attenta origine. Quod Advocati debeant etiam venerari collegas disertissimos utriusque Collegii extra disputationem est; hic enim omnes sunt viri sapientissimi, & cuncti electi. Hic Magistri colendissimi, & totius orbis Præceptores excellentes. Illic summa nobilitas viget. Quod nam sit præstantius, adhuc sub Judice lis est? Non desunt qui contendant solum esse Regale Divi Pauli Collegium, sed hoc instituti nostri non est; immo utrumque Regibus dignissimum, orbis miraculum nulli exterorum secundum novimus, Dum tamen Illustrissimus DD. Dida-
cu Fernandes de Almeida Dominus meus pro suo disputavit Collegio, hæc in operis laudem rudi dedimus camæna.

Epigramma.

Dum calamo pia bella geris,
Paulique nitores
Doctrina illuſtras, clare
Jacobe, tua.

Multa Tibi Paulus, sic plurima
Regia debet,
Pauliadumque Domus, Ly-
sia tota viris.

Cur vero hæc? Pauli Domus est,
atque ipsa Joannis:

Jure igitur calamo plaudit
uterque tuo.

Ille polo, terra hic magnus: fe-
licior ergo

Solus ades! tantis, digne,
patrocinii.

Pauliadum Domus alta fuit, te-
cum altior illa est:

Magna erat, ingenio ma-
xima

xima facta tuo!

Aliud.

- 9 *Clara Domus Pauli, Petri quoque clara per Orbem:*
Illa viris grandis, grandis & ista viris.
Æqualis meritis satis utraque vixit in annos,
Utraque virtutis signa decora dabat.
Noscere nec poterant homines,
Regalis an esset
Pauliadum major, seu tua, Petre, Domus.
Florebat dudum Regalibus utraque Alumnis;
Utraque Collegis docta, jucunda suis.
Venere Almeyda, atque intrant regalia tecta:
Regali Domui tres dedit una Domus.
Alloquitur Superos pro Paulo docta Minerva:
Gloria Pauliadis indubitata sat est.
Cedant, Petre, tui, seu claro sanguine jaëtes:
Seu magno ingenio, desine, cede Domus.
Vincere si multos unius gloria posset;
Quid facient hi tres, quos quoque junxit amor?
Divide? Sed tales fratres quis distrahat: adde:
Non patitur numerus, Pauliadumque chorus.
Hos genuit Mater florens (mea gloria cedat)
His Pater est alter Mars, Lysiaeque decus.
Seu calamo, seu bella geras, bona Lysia, ferro;
Ut vincas, opus est, Lysia celsa, Domo.
Almeyda vincunt: Almeydas, Paule, probasti:
Non semel, est Petri terquoque victa Domus!

Alterum.

- Censores calamo viderunt bella gerentem*
Pro Paulo authorem, Pauliadumque Domo.
Tum docti clamant: dubia est via
Petriadi, Domui tu quoque, Sylva, faves.
Pulvere Palladio jam dudum bella sonabant:
Clari Censores talia dicta dabant.
Non nostrum inter vos tantas componere lites:
Di faciant utinam! Vivat uterque Domo.
Ecce celer superis Mercurius aliger adstat:
(Intrat Joannis non semel iste Domum)
Alloquitur: Pauli qui causam suscipit, ipse
(Non legitissi) Pauli doctus alumnus erat?
Ipsi opus egregium circumspexitis: ac ipsum
Noscite jam titulum: qualia fronte gerit?
Postquam censores hoc cognovere, beata est sonanta monachorum
Pauliadum Domus est, maxima ubique suis.
-

SUMMARIUM CAPITIS XXXI.

- 1 *Advocati possunt facere substitutionem militarem filii suis. Argumentum contra predictam resolutionem proponitur.*
- 2 *Respondetur ad argumentum: Privilegium hoc fuit concessum militibus non ob imperitiam, sed propter militiae favorem.*
- 3 *Testamentum militis non subjicitur querela inofficiose: Ex diversis non fit illatio; & late respondetur ad alterum argumentum.*

tum; resolutioque satis firmatur:
Militi *Advocato* offer.

Epigramma.

*Causidicus nam, miles eris: nec
tela vibrabis:*
*Pro gladio tibi sit liber, &
alta Toga.*
*Maximus ipse Toga, dum fervent
agmina campis,*
*Vel solo calamo vicitur ubique
sonas!*
*Ergo vicitorem quid te galeata la-
cessit*
*Turba: potes sic num vincere?
& arma gerens?*

C A P U T XXXI.

*Utrum Advocatus possit facere sub-
stitutionem militarem filiis suis
impuberibus? Refertur affirmati-
va opinio; & contraria tutior
censetur.*

IPerivilegium magnum (secundum aliquos) competit nostris *Advocatis*, nempe quod possint facere substitutionem militarem filiis suis secundum terminos *textus in l. cen-*
turio ff. de vulgari, & pupillari. Ratio est; quia nostri DD. *Advocati* sunt milites, & multò honorabiores; quam milites militiae arma-
tae: *glos. in l. miles 6. ff. de re judi-*
catur. Trentacinq. de substit. 4. p. c. 8.
n. 7. Gars. Ias. & alii, quos citat
nostrus Lusitanus Carvalh. magnum
D. Petri Collegii decus, ad cap Ray-
nald. de testam. p. I. n. 288. Sed ar-
gues: Hoc privilegium, & omnis
facultas testandi, sic, vel sic, con-
ceditur militibus propter eorum
ignorantiam: *lib. 2. tit. 11. Instit.*
de militari testamento, ibi supradi-
cta diligens observatio in ordinandis
testamentis militibus propter nimiam
imperitiam eorum constitutionibus
Principalibus remissa est: ergo cum

in nostris militibus *Advocatis* magna
scientia e converso supponatur, cre-
dendum est non posse facere talem
substitutionem, ex argumento ces-
sante causa, quod regulariter vali-
dum est de jure. Et re verà (ut
verum dicamus) ista secunda opinio
tutior est.

Sed contrarium aliqui sequuntur, 2
neque enim hoc privilegium, de quo
agitur, fuit concessum militibus
propter ignorantiam, sed ob mili-
tiæ favorem, & prærogativam, quod
ideo ad *Advocatos*, & DD. jure mer-
ito extenditur: Latè *Alex. in d. l.*
centurio à n. 6. Galiaul. in repet. d.
leg. centur. à n. 38. & seqq. Et præ-
dictum privilegium fuit militibus
concessum in solatium, ut postquam
in bello, expeditioneque essent oc-
cupati, possent directò primum, &
secundum hæredem facere: ideo
cum *Advocati* non sint minus occu-
pati pro Reipublicæ utilitate, quam
milites, evidenter sequitur ipsis hoc
competere; quidquid contrarium
teneat Ludovicus Romanus *in l.*
quamquam cod. de testament. milit.
Marsiliusque in d. l. centur; & multi
alii. Hæc ex Carvalho, ubi supra.

Argues tamen: Testamentum mi-
litis patrisfamilias non subjicitur
querelæ inofficiosi: *l. Si instit. v.*
§. 2. l. Papinian. 8. §. Papinian. 3.
cum §. seq. ff. de inoffic. testament. &
est communis, a qua nemo recedit:
atqui *Advocatus* non habet tale pri-
vilegium in testando: ergo jam pri-
vilegium militis in materia testamen-
torum non extenditur ad *Advoca-*
tos. Respondendum tamen est, quod
ex eo, quod istud non extendatur,
non sequitur quod idem dicamus de
aliо, neque ex diversis fit ulla illa-
tio; neque nos diximus absolutè
omnia privilegia extendi; immo hoc,
de quo procedit argumentum, fuit
valde exorbitans, & quia ita, pos-
tea sublatum est per text. in auth.
ut cum de appellat. cognoscitur, §. &
hoc

hoc quidem col. 8. Ergo quia nimis exorbitans nostris Doctoribus non fuit communicatum, præcipue cum lex ad milites arctaret; quod non procedit de primo; & datur eadem ratio in nostris Advocatis ut illo fruantur; & materia privilegii ordinibus concessi est plerumque favorabilis, & ubi datur eadem ratio, militat ipsa dispositio, neque hoc rigorosè loquendo est extensio, sed comprehensio quædam. Hæc in Advocatorum gratiam, sequendo Carvalh. & alios; dum tamen, ut dixi, contrariam opinionem meliorem reputes.

SUMMARIUM CAPITIS XXXII.

- 1 *Advocati exempti sunt à muneribus personalibus præter arbitrandi, consulendi, & judicandi: Non coguntur ad recipiendos hospites. Vide, & nota.*
- 2 *Non tenentur ad faciendam custodiā: Exempti sunt à tributis.*
- 3 *Advocatus non convenitur ultra quum facere potest; Hocque illis competit privilegium: Non possunt scrutari de armis.*
- 4 *Quod possint scrutari certum est, non obstantibus aliquibus DD., maximè apud Lystos datā lege novissimā.*

C A P U T . XXXII.

De variis exemptionibus, & nostrorum Advocatorum privilegiis.

- 1 **N**ostros Advocatos esse exemptos a muneribus personalibus præter arbitrandi, consulendi, & judicandi, est extra controversiam: *I. Sancim. I., ubi Bartol., & Bald. C. de Advocat. divers. judic. Peregrin. de jure fisc. I. T. tit. 2. nu. 15. Marc. q. 637. nu. 5.*, ubi quod non coguntur ad recipiendos hospites, &

ita Judices in Civitatibus, & Villis non possunt in domos Advocatorum mittere milites, ut ibi residant tempore belli, neque cogimur militum esse Patroni in tali casu; vocant enim milites Patronos omnes illos, in quorum domibus habitant, quando agmen oppidum intrat, vel in aliqua arce stat miles in armis; & non sufficiunt armatis domus destinatae, vulgo *Quarteis*: Unde Judex non potest ad hoc dare ordinem, quem vulgo dicimus *boleto*; & si derit, præsumitur inimicus illius Advocati, quia non potest, aut non debet ignorare privilegium nostris Advocatis concessum, seu ut melius dicam, exemptionem datam. Verum si necessitas urgeat, & alio modo militibus subveniri non possit, affirmandum est domos Advocatorum non esse immunes recipiendi truces hospites. Truces appello, id est, horrendos bellatores. Neque de hoc miretur Advocatus. Quid enim? Miles militem bono animo recipiat. In hoc tamen casu ex urbanitate Judex exponat Advocato necessitatem, ac ita exprimat in mandato vulgo *boleto*, ut clarius innotescat authoritas Advocatorum, immo in hoc casu nobiliores sint, qui ad nostras domos mittantur, aut ipsi belli officiales, sic enim magis attenditur ad authoritatem Domus ex nobilitate hospitis; & quia nobiliores debent occupare meliorem locum. Ita censeo in hac materia, & ita observarem, si Judex forem.

Quod etiam non teneantur ad faciendam custodiā, tradit *Guid. Pap. q. 458. num. 4. Aluys. de Leo in l. 1. Cod. de Advocat. divers. judic. nu. 28. cum seqq. Fontanel. de pact. nupt. tom. 1. claus. 4. glos. 10. p. 1. num. 127.*, & generaliter respectu munerum personalium præter supraposita facit *I. Medic. de professr., & Medic. lib. 10. Nat. conf. 65. n. 1. Rip. in tract. de pest. tit. de remed.*

præserv. contr. pest. nu. 216. Ben. in tract. de privileg. Juris consult. p. 3. privileg. 96. nu. 2. Put. de Syndicat. verbo Doctor num. 1. Gutier. pract. quest. lib. 1. c. 21., & seq., ubi de exemptione a tributis; de qua materia vellem ego specialiter dicere; ast non possum: Guid. Pap. q. 88., & qu. 388. a contributione liberos censet Doctores, & in Regno Castellæ observatum tradit Guid., ubi supra.

- 3** Non conveniuntur etiam Advocati ultra quam facere possunt: Ferrar. in tract. de appellat. lib. 5. cap. 4. n. 551. Put. de Syndicat. verbo Doctor n. 1. Cevall. pract. quest. q. 477., neque tolluntur arma Advocatis tempore prohibito, ut probat Menoch. de arbitr. cas. 394. n. 74., & 75. Ceval. pract. quest. q. 329. nu. 4. Tiraquel. de nobilit. c. 20. num. 67. Plac. de delictis c. 8. nnn. 20. Idem Put. de Syndicat. verbo Doctor n. 1., ubi quod familia potestatis non potest capere Doctores, & citat Bartolum dicentem, quod non possunt prædicti scrutari de armis: favet Xamár de offic. Advocat. p. 2. q. 2. num. 8.

- 4** Hoc tamen, quod de armis dicitur, certè in usu non est, neque Advocatus potest trahere arma prohibita, maxime stante lege novissima; quæ talem non admittit exceptionem: Et licet Advocatus ad suam defensionem, & ob multos inimicos truces, quos quisque habet, certè dependeat ab omni cura, non tamen ad tantum extenditur potestas, quod armis prohibitis, & vetitis uti possit, aut de illis non scrutari; & ita concludenter tene, & sequere; nullum enim in contrarium est dubium, aut leve fundamentum.

SUMMARIUM CAPITIS XXXIII.

- 1** *Advocatus certè militi præfertur.*

- 2** *Scientia præfertur viribus, ac divitiis; & melior est Sapientia, quam arma bellica.*
- 3** *Sapientia est fundamentum omnium honorum.*
- 4** *Late prosequitur, & demonstratur; referturque celebre dictum Calisti III. Romani Pontifi. is. linib.*
- 5** *Celebratur pacifica Lusitania; & Dominus Rex Sabaudie ad astra evehitur ob animum egregium, & Marte potentem.*

Ad 6. 7. 8. 9. vide.

- 10** *Sapientes sunt veluti dominatores aliorum: sine consilio nihil in ipso bello geritur; & concluditur a Sapientia ipsum Martem depender.*

- 11** *Acri dextrâ potior est prudentia.*
- 12** *Consuetudo Alexandri Severi memoratur: Milites dependent a multis notitiis, & artibus; & militaris res legibus in tuto est collata præsidio.*

- 13** *Romanum celebratur Imperium, quod consilio, & non solum dextra superavit: Sententia D. Ambrosii proponitur.*

- 14** *Literati homines ad arma nimis quandoque inserviunt; meliorque eis debetur locus.*

- 15** *Juris consulti plurimi militavere: Tenditur per allegorias.*

- 16** *Audientiarum Venatores reprobantur.*

- 17** *Celebrantur duo Lysii Comites armis famosi.*

C A P U T XXXIII.

*Utrum Advocatus militi præferatur.
De armis, & literis disputatio.*

A N Advocatus militi præferatur, etiam in controversiam deduxerunt nostrates; & communis est conclusio, nostros Doctores præferri: Glos., & Bald. in l. quod constitutum ff. de militari testament. Beluga in opere suo Curiali tit. de formâ, &

mā, & ordine standi §. post hos, quem citat aureus Boerius in tract. de authorit. magni Consilii n. 93. Grat. for. tom. 1. cap. III. nu. 84. perintegros de hoc tractatus ediderunt Signorol., & Christophorus Lanfranc. de Homodeis, Thomas Mer. p. 2. coll. 6. cap. 17. de professor. juris peritis num. 7., quos poteris videre.

2 Ratio istorum principalis est, quia Scientia præfertur viribus, ac divitiis: c. de multa G. circa sublimes, & literales personas de prob. c. 2. de officio Delegati lib. 6. Unde Sapienter dixit Salomon Sapient. cap. 6. in princip. *Melior est Sapientia, quam Vires, & Vir prudens, quam fortis.* Et Ecclesiast. cap. 9. in fin. *Melior est Sapientia, quam arma bellica.* Et Sapient. 7. *Divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum; quoniam omnne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tamquam lutum estimabitur argentum in conspectu illius.*

3 Accedit; quia Sapientia secundum ipsum Salomonem, est Mater, & origo, principium, & fundamentum omnium bonorum, ut Sapient. 7. 11. *venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & letatus sum in omnibus, quia antecedebat me ista Sapientia.* Quasi sic ista omnia munera distribuat, & dominetur domina absoluta, diserta, & antiquissima præ ceteris: unde Cicer. lib. 1. Officior. sic est locutus. *Parva sunt foris arma, si non est consilium domi.*

4 S. Isidorus lib. 1. Etymolog. refert illam tabulam ingeniosè propositam a Demosthene Græco Oratore: Philippus Macedo exercitu potenti Atheniensibus terror erat, provinciamque vastabat. Ecce tamen per legatos petivit ab eis (Civitatemque intactam promittit) decem claros Oratores. Patres, primique Cives pro-

ponunt Philippi pactum in Senatu, donec Demosthenes ingenio grandi hæc protulit verba: *Facta est pax Cives inter Lupos, & Pastores.* Illi ah ipsis canes sunt consecuti, dicentes latratibus esse rixarum causam; & sic pastores ignoranter luporum votis annuerunt, judicantes, quod cum pax celebraretur, nulla erat canum necessitas. Sed quamprimum lupi greges notarunt custoditos, ecce adulant dentibus frementes, pavidosque terunt, lacerantes unguibus. Hoc vobis, Patres, postulat Philippus; maturis ergo animis ponderate, utrum sit conveniens dimittere vestros Ora- tores famosos, qui suis latratibus, consiliis nempe, portas custodiunt Civitatis, Regnumque totum? Omnia perditis, si abdicatis vestros Jurisperitos. Scilicet Philippi exercitus Duces, militesque non petit: ad quid ergo decem homines? Decem Sapientes nempe possunt superare exercitus, vastare Urbes, vincere Reges; & toti dominarier orbi. Hac consideratione ductus Calistus III. Pontifex Maximus sœpe dicebat, se non timere bella, & insidias hostium, cum Ecclesia mille homines doctos haberet, ut refert Victoria in suo Theatro de los Dioses p. 2. cap. I.

5 Quid ulterius? Ecce dum tota Europa armis gemit quassata, Italiæque campis fervent agmina volitantia. Dum tota Parma gladiis, tellisque coruscat, Padumque multo sanguine cernimus spumantem grandemque instructo Marte Sabaudiam, cuius Rex potentissimus verè nostrorum temporum Hercules; sola Lusitania fruitur sua pace secura. Rhenum aspicias, Eugeniumque inclytum Turcarum quondam terrorrem, quos sœpe præliis devicit, fugavitque, nunc in Gallos tela, ultimique exitium minantem.

*Induitur ferro splendor, juvemque repostæ
Instaurant galeæ coni decus, hasta*

*basta juvatur
Amento, renovantque nova for-
nace bipennes.
Conseritur tegmen laterum im-
penetrabile multas
Passurus dextras, atque irrita
vulnera thorax.*

- 6 His fretus auxiliis Potentissimus Dominus Germaniae Imperator Carolus Sextus, quem diu fata servent incolumem, Iberos altos, Gallosque invictos lacefuit. Parte alia metuendum videas Carolum alterum, annis juvenem, experientia senem, qui post captam Neapolis Urbem, Regno potitur. Cecidit Palermus alta solo, atque omnis metuit Trinacria tellus.

*Hispanus bello victor, primisq;
Superbus
Auspicio tantorum operum vio-
lentius ardet,
Attollitque animos, Messanæque
alta requirit
Mænia, & oppositis celer admo-
vet agmina muris.*

- 7 Cedit Regno Caroli devicta Capua, illa urbs Campana a Virgilio memoria. Illinc noscas Lunam Superbam, Persasque ruentes. Qualia non umquam numeraverat agmina Xerxes, sive Darius infestus Alejandro. Tanta est potentia Thamas!

- 8 Quid inter hæc noster invictissimus, ac insuperabilis Dominus D. JOANNES QUINTUS Lusitanæ, & Algarbiorum Rex? videt pugnantes animo sereno.

*Ipse sedens niveo melioris limine
Phæbi
Dona recognoscit populorum,
aptatque Superbis
Postibus, incedunt victæ longo
ordine gentes.
Conscius ille sui, Sapiensque
per omnia lustrat
Attollens humeris famamque, &
fata Nepotum.*

- 9 Sapientia nempe, consiliumque Lusitanum regit Regnum; ac in pace

per saecula conservabit. Quod si bella ruerent, Nonus unusquisque obscura è mole sepulchri Surgeret, & gladio vel sponte lacefferet Orbem!

Redeamus ad opus: Aristoteles, quem refert Rebiffus ad leges Gall. tit. de salariis famulorum glos. 2. in princip. ait Sapientes, & qui ingenio pollent, esse veluti dominatores aliorum; eo quod graviter ferendum est, quod illiterati homines nos alii cubi pro nobilitate generis vincant, vel armis superent; quando, ut dicitur Proverb. cap. 20 ib. Cogitationes consiliis roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella: gubernaculis, id est prudentia, & consilio. Et sine consilio Sapientum nihil in ipso bello agitur, ut bene deducitur ex lib. 1. Machabæorum cap. 5: In die illa cederunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum sine consilio exeunt in prælum. Vide Homer. lib. 2. Iliados.

*Certè, inquit, venerande Senex,
te plurima lingua
Gratia commendat: prudenti pe-
ctore cunctos
Haud dubiè gratos superas, vin-
cisque loquendo.
Atque utinam tales mihi Di bis
quinque dedissent,
Nempe brevi nostris manibus
caperentur, & alto
Pergama conciderent a cul-
mine.*

Bene Cicero in Catone Majore sic 11 ait. Dux ille Græciae nunquam optat ut Ayacis similes decem habeat, sed ut Nestoris: quod si acciderit, non dubitat, quin Troja brevi sit peritura. Vnde optimè Flac. lib. 4. ib.

*Nec solis viribus æquum
Credere, saepe acri potior pru-
dentia dextræ.*

Et Lampridius memorat de Alessandro Severo, quod confuetudo illi fuit, ut si de jure, aut negotiis tra-

tractaret, solos doctos, & disertos adhiberet. Si verò de re militari, milites veteres, & senes bene meritos, & locorum, ac bellorum, & castrorum peritos, & omnino literatos, & maximè eos, qui Historiam notant: requirens quid in talibus causibus, quales in disceptatione versabantur, veteres Imperatores, vel Romani, vel exterarum gentium fecissent? En quomodo milites ab his notitiis dependent, & vel a nostra jurisprudentia, quæ est humana rerum notitia vasta. Bene Justinianus de Justinianeo Codice confirmando: ibi: *Summa Reipublicæ tuitio de stirpe duarum rerum, armorum, atque legum veniens, vimque suam exinde muniens, felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus, omnibusque gentibus dominari, tam præteritis effecit temporibus, quam Deo propitio in æternum efficiet; istorum enim alterum alterius auxilio semper eguit, & tam militaris res legibus in tuto collocata est, quam ipse leges armorum prædio servatae sunt.*

13 O felix Minervæ, & Jurisprudentiæ consilium, cui vel arma cedunt! Xerxem, qui multa hominum millia contra Græcos adduxerat, nec vel terra, vel mari poterat capi, unius Themistoclis industria superavit: Sanè contra hostes non armis solum, sed consilio in primis utendum est. Nam cùm consultatione possimus superiores evadere, quid opus erit pericula suscipere? *lege Rutil. lib. I. Itinerar. de Imperio Romano, ubi.*

Omnia perpetuos quæ servant sydera motus,

Nullum viderunt pulchrius Imperium.

Quid similes Assyriis connectere contigit arma,

Medi finitimos cùm domuere suos?

Magni Parthorum Reges, Macedumque Tyranni,

Mutua per varias jura dedere vices.

Nec tibi nascenti plures anime que, manusque;
SED PLUS CONSILII, JUDICIIQUE FUIT.

Iustis bellorum causis, nec pace superbæ Nobilis ad summas gloria venit opes.

Optimè D. Ambros. epist. 30. *Si de re militari est consulendum, debet exercitati viri expectari sententia: Ipsi Duces aliquando superaverunt inimicos exercitus per syderum, cælique observationem, & sic ponebant castra, melioremque occupabant locum: ergo ad quid arma si deficit scientia? ista verò plerumque sine armis stare potest absolutè.*

Nec dubitari potest, quod literati 14 homines prius, si velint, ad arma eligendi; & quod melior eis locus debetur; & semper militaverunt insignes scientiarum, & bonarum artium Professores: *Virgil. lib. II.*

Forte sacer Cybele Chloreus, olimque Sacerdos

Insignis longè Phrygiis fulgebat in armis,

Spumantemque agitabat equum; quem pellis ahenis

In plumam squamis, auroque inserta tegebatur.

Ipse peregrina ferrugine clarus, & ostro

Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu.

Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati

Cassida.

Quid memoretur Asylas? Supponam Mathematicum.

Tertius ille hominum, Divumq; interpres Asylas,

Cui pecudum fibrae, cali cui sydera parent;

Et linguae volucrum, & præsagi fulminis ignes,

Mille rapit densos acie, atque hor-

torrentibus hastis.

Et volo te Vatem, Cupavo.

X 186
*paucis comitate Cupavo,
 Cujus olorina surgunt de vertice
 pennæ.*

- 15 Et si Jurisconsultos vellem adducere in medium, qui militavere, longo nobis Catalogo opus esset: Si ergo bella descendant in Lusitanam plagam, a quibus nos liberet Deus, ruant Advocati ad arma; & illis nempe fiet exercitus nimis grandis. Utrum vero ad hoc cogi possint, dico affirmativè, si necessitas instet; ablata verò necessitate, si in ipsis non est doctrina sufficiens, non tantum in Regno militare, sed in Indiam mittendos clamarem sua comptos oliva. Qui intelligit, intelligat: Horridus *Advocatus* ignarus mihi est; & quasi vivit rapto officio: pugnet ergo suis Ducibus.

*Et te montosa misere in prælia
 Nursæ
 Ufens, insignem fama, & felici-
 cibus armis.*

*Horrida præcipue cui gens, af-
 suetaque multo
 Venatu nemorum, duris Æqui-
 colæ glebis.*

*Convectare juvat prædas, &
 vivere rapto.*

*Quin & Marrubia venit de gen-
 te Sacerdos*

*Fronde super galeam, & felici
 comptus oliva.*

*Archippi Regis missu fortissimus
 umbro:*

*Vipereo generi, & graviter spi-
 rantibus hydris,*

*Spargere qui somnos cantuque,
 manuque solebat.*

- 16 O audientiarum venatores, qui Judices dormientes supponitis! Tales odit Orbis *Advocatos*. Illos vero, qui scientia, & honestate fulgent simplici militi præferendos evidens est; immo *Advocatus* est miles togatae militiae, & per leges, ut pasim dicitur, ac in illis disponitur,

gaudet privilegiis militaribus.

Tempore, quo hoc caput incæpi, 17 nostra clarissima Lusitania secura pa- ce fruebatur; ac etiam hodie vivit in pace: apparent tamen belli tumultus, minæque, ac pro utroque Non- nio memorato stant duo Praeclarissimi Comites do Assumar, & Atalaya, viri armis nimis potentes, & experti; primus Equitum Magister, secundus Peditum; & his duabus veluti co- lumnis certatim sese Lysii exhortan- tur in arma. Haud ulli veterum est quisque secundus. Utriusque

*Ardet apex capiti, cristiisque, ac
 vertice flamma
 Funditur, & vastos umbo vomit
 aureus ignes.*

*Non secus ac liquidâ si quando
 nocte Cometæ*

*Sanguinei lugubre rubent, aut
 Sirius ardor:*

*Ille sitim, morbosque ferens
 mortalibus ægris*

*Nascitur, & laeo contristat lu-
 mine Cælum.*

SUMMARIUM CAPITIS XXXIV.

1 *Advocatus in causâ, quam defen-
 dit, regulariter testis esse non
 potest.*

2 *Utrum hoc militet adhuc finita
 advocatione? Referuntur duæ opi-
 niones contraria; & distinguitur in
 materiâ, ac tandem resolvitur num-
 quam manere testem integræ fidei.*

3 *Utrum possit esse testis in causâ ap-
 pellationis? Referuntur opiniones;
 inter quas distinguitur; ac ultimâ
 dicitur etiam non esse testem inte-
 græ fidei, licet admittatur.*

4 *Idem, quod dicimus de Patrono in
 causa Clientis, affirmamus de isto
 in lite sui *Advocati*.*

5 *Non solum *Advocatus* salariatus
 testis esse non potest; sed multo
 furtius non salariatus.*

6 *Advocatus, qui recepit pecuniam
 ab uno,*

- ab uno, ne alterum defenderet, adhuc pro illo testis esse non potest.
- 7 Contrarium tamen ut verum resolvitur.
- 8 Si vero Advocatus ut testis producitur ab Adversario, contra quem litem defendebat, certe probat. Debet tamen se excusare quantum possit.
- 9 Advocatus tantum electus potest esse testis; sed si de salario jam fuerit conventum, majus dubium est; & referuntur opiniones.
- 10 Per patrocinium subsequens non debilitatur juramentum antecedens.
- 11 Advocatus in una causa, potest esse in alia testis. Quando articuli sunt diversi, potest deponere in illis, in quibus non advocavit. Advocatus in possessorio potest testificari in plenario proprietatis. Et ubi veritas aliter haberi non valet, admittitur in subsidium. Semper in criminalibus admittitur ad presumptionem faciendam, & ne delicta maneat impunita. Dictum ejus non valet, nisi questioni subiectatur. Si cum Advocato concurrant testes idonei, ejus fides supplebitur. Contrarium tamen resolvitur. Limitatur autem, dum Advocatus sit incorrupte integritatis vir, atque bona feme.

C A P U T XXXIV.

Utrum Advocatus in causa, quam defendendam suscepit, possit esse testis? Latè agitur de hac materia cum omnibus suis casibus.

Advocatum in causa, qua est Advocatus, non posse esse testem regulariter propter presumptam affectionem colligitur ex aperto textu in cap. si testes omnes §. testes, quos accusator, 4. q. 3. tit. in l. fin. ff. de testib. Alber. in l. deferre num. 3. ff. de jure fisci, Speculat. in tit. de test. §. 1.

nu. 74. Æmil. in tract. de testib. p. 1. verbo Advocatus nu. 3. Cephal. conf. 65. num. 22. lib. 1.

Quæ quidem communis regula ampliatur, adhuc finita advocatione: Bald. in l. omnibus num. 4. cod. de testib. quia sua interest ignorantiam non detegi: Mascard. de probat. lib. 3. c. 1357. nu. 4. Text. in cap. Roman. de testib. in 6. Surd. d. Mantua 219. Sed contra hanc limitationem est Ægidius in tract. de testib. num. 13. Mell. eod. tract. uum. 31. vers. item admittitur negotio finito: idem Mascard. de probat. lib. 1. c. 66. num. 9., ac plures alii, quos refert, & quibus assentior. Si velis, distinguere potes, & contrarias opiniones concordare, dicendo, quod prima procedit, si Advocatus consequatur ex juramento commodum, si non, secundæ adhæreas. Ita Myllis in suo repertor. verbo testis non potest esse Advocatus. Sed adhuc in his terminis obstare videtur illa affectio ad causam, quæ est motivum repellendi Advocatum a juramento. Ita arguit Mascardus de procuratore loquens, de probat. lib. 3. c. 1232. num. 12., & de Advocato in terminis Æmil. d. verbo Advocatus num. 42. fol. 101. Pro resolutione dicas, numquam manere testem integræ fidei, & omni exceptione majorem: Rym. cons. 56. num. 4. lib. 10.

Neque in causa appellationis Advocatus potest esse testis pro suo clientulo: Campeg. de testib. reg. 58. in princ. Corrad. in pract. §. 2. de officio Prætor. tit. de testib. rubric. person. test. aggred. verb. Advocatus num. 59., vel adhuc in causa appellationis det suum patrocinium, tunc enim clarè est extra omne dubium, vel non: Imol. in c. cum a nobis n. 7. vers. si autem extra de testib. Contrarium tamen hisce terminis affirmavit Bartol. in conf. 213. nu. 2. Malet. de test. p. 1. c. 4. num. 6. Distingue pro concordia, ut supra, & dic non ma-

nere omni exceptione majorem.

- Mandof.* 4 Quod dicimus de Patrono in causa Clientuli, procedit pariformiter de Clientulo in processu sui Patroni, & Advocati, quasi quod sit ejus domesticus: *Alb. in l. fin. num. 7. ff. ae testib. Speculat. in tit. de teste § primo num. 13.* Hoc tamen intellige, durante patrocinio, illo enim finito, nulla datur ratio, ex vi cuius clientulus non possit esse testis in causa Advocati: *Mascard. lib. 3. c. 1357. num. 49.*

- Mallet.* 5 Non solum Advocatus salariatus a testimonio repellitur, per ea, quæ diximus; sed etiam non salariatus; immò in isto præsumitur major affection: *Mandof. in addit. ad Roman. conf. 420. lit. A. Surd. d. Mantuan. 219. num. 5., & 6.* Et mihi non placet; quia Advocatus non salariatus, ideo est magis salariatus; & vera hirudo, sicut me docuit experientia, & multi casus, quos possem de aliquibus recensere. Ego vero, ut verum fatear, numquam sine pecunia pro divitibus volui descendere in arenam; pro pauperibus vero (Deus scit) neque dubitavi umquam, neque dum mens, & vita fuerit, dum spiritus hos reget artus, dubitabo.

- Mallet.* 6 Advocatus, qui ab una partium pecuniam recepit, ut alteram non foveat, non potest esse testis in tali casu, ut reprobato Speculatore tenet *Malet. in tract. de testib. c. 4. num. 7. in fin., & num. 8.* Et hoc ex dupli ratione; primo propter receptionem pecuniarum; quia jam contractus habet executionem pro parte. Secundo; quia negare non possumus, quin Advocatus iste, qui pecuniam recepit, habeat affectionem ad causam: *Mascard. de probat. lib. 1. conclus. 66. num. 5., & 6.*

- 7 Ego tamen resolutivè dico hoc mihi non placere; & in primis dico talem contractum esse indignum. Supposito autem, quod quis demens eum celebret, dico talem

habere solum affectionem ad pecuniam, quidquid de causa, quam non defendit. Et forsitan illorum terminos, & facta ignoret. Potest ergo talis Advocatus esse testis his terminis: *Speculat. in tit. de testib. §. I. num. 75. Hoshens. in summa sub tit. de testib. §. quis possit esse testis col. 5. vers. quid si Advocatus.* Et do aliam rationem; quia edictum de testibus est prohibitorium; & non reperitur cautum, Advocatum in tali eventu non posse esse testem: *Aufr. de reprob. test. num. 8. vers. sed ubi receperisset pecuniam, & nu. 79. vers. pecuniam recipiens.*

Quando verò Advocatus inducitur in testem ab eo, contra quem est patrocinatus, admittitur, & probat pro utraque parte: *Bartol. in l. omnibus num. 7. in fin. cod. de testib.*, & potest cogi in tali casu ad testificandum: *Felin. in cap. cum a nobis num. 13. extr. de testib. Emil. tract. de testib. p. 1. verbo Advocatus n. 26.*, ubi plures refert. Rectius tamen faciet Advocatus in tali casu, abstinentendo se a tali testimonio, si possit; inveterendum enim quodammodo videtur eum testimonio lèdere, quem aliquando in eadem causa patrocinando adjuvavit: *Franc. in cap. Roman. num. 3. de testib. in 6.*

Advocatus autem tantum electus, pro Clientulo potest ferre testimonium, si adhuc non incæpit advocare: *Felin. in cap. cum a nobis num. 13. vers. idem si fuisset electus extr. de testib. Corn. conf. 309. num. 5. lib. 4. Emil. de testib. p. 1. verbo Advocatus num. 22., & 23. fol. 92.* Et est ratio, quia lex non simpliciter prohibet Advocatum, sed quando patrocinium præstítit: *l. fin. ff. de testib.* Ergo cessat ratio. Sed si jam de salario fuerit conventum, repellitur a testificando: *Alber. in l. fin. num. 6. ad med. ff. de testib.*, ex eo enim quod de salario conventum est, jam dicitur Advocatus: *l. 1. §. Advocati ff. de var.*

de var, & extraord. cognit., & pro Cliente advolare tenetur, quem in fide sua suscepit: l. quisquis Cod. de postul. Ast cum salarium non receperit, vel præstítit patrocinium, licet sit de illo conventum, posse esse testem voluit originaliter *Glos. in l. fin. glosa 1. vers. quod si nondum præstiterunt ff. de test. sequitur Campeg. de testib. Reg. 58. in 1. fall. Corn. conf. 309. Mascard. de probat. lib. 1. c. 66. num. 10.*

10 Si testificeretur Advocatus ante patrocinium, ex eo subsequenti non debilitatur juramentum; etiam quod sciret se futurum Advocatum: *Malet. de testib. c. 4. num. 4. vers. quod verum, & nu. 5.*, & reprobatur *Imol.* contrarium tenentem in *C. cum a nobis num. 5. vers. an autem ille, extra de testibus,* & dicit hoc esse verum in Judice, & ut repellatur a judicando.

11 Advocatus vero in una causa, potest in alia esse testis: *Campeg. de test. Reg. 62. in 9. Sall. Lanfranc. de testib. num. 67. vers. in alia autem causa;* & testatur hanc esse communem. Sed Millis contradicit in suo repert verbo testis esse non potest *Advocatus Cephal. conf. 65. nu. 22. lib. 1.* Etiam potest esse, quando articuli sunt diversi, & in illis deponere, in quibus non advocavit; si sint disjuncti, & non connexi: *Corrad. in pract. §. 20. de offic. Præt. tit. de testib. rubr. pers. test. verbo Advocat. num. 29.* Propterea: Advocatus in causa possessio-
nis potest testificari in plenario proprietatis, *Rip. in l. naturaliter num. 18. vers. quartò infertur ff. de acquir. posses.*, & in contractibus, & instrumentis: *Æmil. tract. de testib. p. 1. verbo Advocatus num. 37., & 38. Campeg. de testib. Reg. 58. in 9. fall.*, & in omnibus casibus de partium consensu, & nunc nulla est exceptio: *Mascard. de probat. lib. 1. concl. 66. nu. 18. Æmil. tract. de test. partic. 1. verbo Advocatus num. 18.*, &

Maletis

ubi veritas aliter haberi nequit; tunc enim venit in subsidium: *Malet. de testib. c. 4. nu. 6., & 7. Butr. in cap. cum a nobis num. 12. in fin. extr. de test.*, licet non desint, qui summa puris ratione contrarium attestant, ut videre est apud citatum *Malet.* Verum tamen est, quod semper Advocatum admitterem, saltem ad aliquam præsumptionem faciendam, & ad veritatem detegendam, ne delicta maneant impunita, & in re gravi est mihi indubitabilis. Nota tamen quasi pro coronide; quod si Advocatus admittatur testis in subsidium pro suo clientulo, non valet ejus dictum, nisi quæstiōni subiiciatur: *Mathes. singul. 188. num. 2.* Si tamen cum Advocato sit vincitus aliis testis idoneus, validum, atque ratum erit Advocati testimonium, & supplebitur ex idoneitate alterius: *Amic. conf. 121. col. 4. vers. non obstat: Æmil. de testib. verbo Advocatus num. 46. fol. 103.*, sed hoc habet dubium valde magnum, quod stat in regula generali, quod numquam unius inhabilitas supleatur ex fide alterius, ad quam multa DD. Accedit, quia quod non probat nec semiplene separatum, nihil est; & quod nihil est non intenditur, neque conjungitur, & ita pro hoc resolutive, & magistrali staret stare, nisi Advocatus esset bona famæ, incorruptæ integritatis, atque partibus ipsis locupletior; quia tunc extra controversiam cessare debet suspicio falsitatis, & de apicibus non curarem, immo libenter eum admitterem ad testificandum: *Aymon. conf. 56. num. 14. Æmil. de testib. par. 1. verbo Advocatus num. 45. fol. 102.*

SUMMARIUM CAPITIS XXXV.

- 1 Contenditur Advocatos esse justitiæ Officiales.
- 2 Contraria proponitur Senteutis,

- & breviter impugnatur.*
- 3 *De eadem materia; & de aliis in consequentiam, quæ tu omnia vide;*
Summario enim Summarium non eget.

C A P U T XXXV.

Utrum Advocatus sit Officialis Justitiae? Non potest Advocatus cogi, ut extra Curiam litiget; nec huic rei renuntiare: Advocato facta injuria, & ratione officii atrox est.

1 **E**T affirmativè resolvimus; expressam enim habemus Ordinationem; ex qua hoc mihi certe deducitur, ut in lib. 5. tit. 20.; ubi Advocatus inter Officiales Justitiæ numeratur, & est extravagans, quæ etiam nos vocat Officiales Justitiæ, & altera Ordinatio libri 3., de quibus omnibus (excepta prima) Cabed. p. I. d. 214. Et si hæc amplectatur resolutionis, quæ secundum meum sensum non definit esse vera, & juxta jurisdictionem; poterit Advocatus trahere ad Curiam quemlibet alium, quo cum in judicio contendere velit; sicut quidam Advocatus (quem doctum appellat Cabedo, ubi supra) suo tempore voluit ad Curiam citare suum adversarium. Poterit etiam deduci, quod qui offendit Advocatum ratione officii, resistantiam veluti committat; si enim Officiales Justitiæ sunt; ut argumentatur Cabedo resistentia dicitur offensa illis ratione officii facta: Ord. lib. 5. tit. 36. §. 2., & tit. 66.

2 Noster tamen Cabedo (quamvis alias satis Advocatis amicus) hanc nullatenus sequitur conclusionem; & solum Advocatos intelligit Officiales Justitiæ; ad hoc nempe, ut de illis inquiratur; ac ita veluti ad damnum, non autem, ut ita dicam, ad commodum. Hanc ego verò intelligentiam nullatenus percipere possum; quia cum leges non distinguant, nec nos

distinguere debemus; nec hæc distinctio est rationi consentanea, nec ego video rationem, ut ita excludamur; si etenim de nobis inquirunt, ut de Officialibus, quare partes ut Officiales non venerentur; & si leges puniunt ut tales; & Advocatos ut Officiales, quare ut talibus non favent? Et quid deest Advocatis, ut Officiales Justitiæ non sint; cum eos in publico munere constitutos agnoscamus, a legibus specificatos, numerum illorum assignatum, a Rege veluti creatos, prævio examine in Supplicationis Domo, & dato nomine, ac titulo Officialium, & cum officii charta?

Quidquid tamen de hoc sit, certam habemus resolutionem, quod si eis sit facta offensio, multum atrox reputabitur ratione clari muneris, quod exercent, ut tradit Cabedo in predicta decisione, & est res indubitable. Etiam affirmat, quod non debet cogi, ut extra Curiam litiget; & non posse per clausulam huic renuntiari fatemur, ne a suo munere absistat in partium præjudicium. Ultimò: vide Ord. lib. 5. tit. 42. §. 1., ubi imponitur pœna repetita offendenti procuratorem ratione litis, & hæc Ordinatio observari debet ad unguem; & ut quis liberè utatur suo officio, & ex illa etiam veluti deducitur Advocatos esse Justitiæ Officiales, quatenus gravissima, repetita que satis pœna Procuratoribus favet: unde non solum ut de nobis inquiratur, credo nos esse Officiales Justitiæ. Sed dolor heu! Currente tempore, ubi erit Advocatus? Liceat ita veluti vaticinari; hoc etenim officium adeo Republicæ necessarium videamus amplissimè communicatum; unde si Advocatos credas Officiales Justitiæ, justitiam utique ubique credas.

SUMMARIUM CAPITIS XXXVI.

- 1 Qui fuerat Advocatus in causa, non potest postea in ipsa esse Judex. Advocatus habet affectionem ad causam, quam defendendam acriter suscepit. Rationes dantur, & paritas assignatur. Extenditur resolutio etiam de partium consensu; adhuc enim his terminis nequit esse Judex.
- 2 Si consultus fuisti, nec responsum dedisti, aut præmium acceptisti, poteris judicare de casu. Valles esse Judex in causa non dependenti a prima, pro qua advocasti.
- 3 Electus in Judicem, si levia, & parvi ponderis pronuntiasti in causa quam prius defendebas Advocatus, nec ideo gesta erunt nulla. Figuratur casus. Judex non potest judicari suspectus ex levibus motivis. De præparatorio non valet argumentum ad præparatum. Interlocutiones sunt parvi momenti. Contra stat author, & solum annuit, si non verificetur læsio.
- 4 Utrum de consensu partium possit esse Judex? Hic tractatur late; & argumenta non levia hoc numero proponuntur pro parte affirmativa.
- 5 Prosequitur materia. & dantur authores ita resolventes.
- 6 De eodem agitur. Videtur contra honestatem esse Judex in causa, quam defendebam. Quod non offendatur, demonstratur hic; & contrarium, nempe quod consentientibus partibus, agatur de honore, & virtute viri antea Advocati, qui modo non recusatur Judex.
- 7 Si non potest esse Judex, dato consensu, multo fortius ablato; quod non sequitur, ut hic probat argumentum. Seposito inordinato affectu te posse esse Judicem, & legem fundari in mera præsumpt-

tione, & solo in foro exteriori procedere plurimi clamant.

8 Suspicio in hoc casu est juris, & de jure; & ita securius contenditur te non posse advocare. Plurima involvuntur argumenta, pro quibus stamus.

9 Advocatus assalariatus ad omnes causas non potest esse Judex in aliqua, licet nullo modo consilium adhuc præstiterit Petro, à quo salarium accipit; & ita potest recusari Judex. Habet hoc casu affectionem ad clientulum. Paritas assignatur: Judex, & testis aequiparrantur.

10 Remoto consensu, nullatenus Judex esse valet. Advocatus dicitur amicus suæ partis; & Adversarii inimicus. Nec posito consensu, nec sublato, & licet partes millies pertinent, & instarent, ego Judex esse vellem.

CAPUT XXXVI.

Utrum qui fuerat Advocatus in causa, possit postea esse Judex? De assalariato ad omnes causas Titii, utrum in aliqua possit esse Judex, si consilium non præbuit? Utrum de partium consensu?

Qui fuerat Advocatus in causa, nullatenus in ipsa postea poterit esse Judex. Et ratio evidens est, quia Advocatus præsumitur habere particularem affectionem ad illam causam, quam suscepit defendendam; tx. in l. Prætor, & ibi Bartol; Angelus, Alexander, & alii DD. per illum tx. ff. dejurisdict. omn. Judic. c. postrem; & ibi glos. Abbas, & Dec. de appellat. Bald. in l. nec. arbitr. c. de arbitr. l. apertissimi cod. de judic. Atque hoc in tam tum protrahitur, quod licet partes velint, consensumque præbeant, nihilominus noster Advocatus in tali casu non possit esse Judex; si credendum

dendum est ita tenenti Thom. Mier. p. 2. collat. 6. cap. de Professor. Jurisperit; & medic. v. item nota quod qui fuit (facit Marant. in specul. 6. p. circa causas recusandi Judic n. 42. Avil. in c. 3. Prætor. glos. Abogados n. 3. Dian. resolut. moral. p. 3. tract. 5. miscel. resolut. 56. sic etiam ob eamdem rationem Advocatus non potest esse testis, ut cap. 34. dixi: Et multo fortius in præsenti materia hoc est certum: aut enim Advocatus judicabit secundum suam allegationem, ac ad id coarctabitur, aut non? Si primum, certa est victoria antiqui clientis. Si secundum, ex tali variatione resultat quædam indecentia; & ut uno verbo dicam, honeste fieri non potest; & datur grande inconveniens, si noster Advocatus admitteretur ad sententiam dannam, quod nullus etiam si posset, certe vellet, aut appeteret.

2 Si tamen fuisti consultus in aliqua materia, super qua Advocatus responsum non dedisti, neque præmium accepisti, poteris in illa postea esse Judex: Abbas in c. irrefragabil. de offic. ordin. Neque Advocatus in una causa pro Petro, prohiberis postea in alia non connexa, neque dependenti ab illa esse bonus Judex; ut cum plurimis tradit Xamar de offic. Advocat. p. 2. q. 4. n. 55. noster Lusitanus Senator Cabed. i. p. decis. d. 20. n. 2. prohibitio enim solum militat in eadem causa.

3 Quæres: Advocatus ego in aliqua causa, postea electus in Judicem, in audiencia aliqua levia pronuntiavi, puta edi acta Advocato rei bis, aut ter, designavi terminos ad probations faciendas, ac alia hujus generis feci: anne ex hoc capite, ista à me jussa, aut gesta nulla erunt? Negative resolvit Cabed; ubi supra n. 3. sed loquitur de Advocato, qui postea fuit in nostra Lusitania cooptatus in Senatorum numerum. Fundamentum fuit; quia omnia illa levia erant,

& parvi ponderis, ob quæ Judex recusari non valet, neque ut suspectus judicari: DD. in l. qui jurisdict. ff. de jurisdict. omn. judic. ubi fus. n. 9. Dec. n. 15. Et maxime hoc est observandum, quando prædictus Judex fuerit vir integer, atque probatae fidei, secundum Alex. & Jas. in d. l. quos sequitur Menoch. de arbitrar. lib. 2. cas. 72. Et ut idem Cabed. ait n. 5. causæ exigui ponderis sunt, nulliusque fere momenti, quæ interlocutiones dicuntur circa judiciorum ordinem, ut sunt regulariter exceptiones dilatoria. Facit etiam; quia prædicta erant præparatoria ad causam: at vero argumentum non valet de præparatorio ad præparatum. Sed contra: Judex suspectus neque in præparatorio potest esse Judex; alias suspicio illico ponni non posset. Accedit; quia in his præparatoriis potest dari læsio: ergo. Cum tamen in illo casu non apparet, ut suppono, nulla illa jussa non fuere; neque ex levi motivo conveniens erat recusare amplissimum Senatorem, cuius ædem in corruptam jura demonstrant, & n. fin. dictæ decisionis laudat Cabed.

Quia tamen Advocatus in causa, non potest postea in ipsa esse Judex ut late demonstravimus, restat videndum, utrum possit esse, si partes consentiant? Jam n. 1. citavimus acerrime negantem Thom. Mier. videamus nunc, si hoc certum sit? Pro parte affirmativa dici potest: Ideo non posset; quia esset suspectus; sed hoc non obstat, dato partis consensu: ergo. Probatur minor; quia suspicio maxime in nostro casu est mere præsumptiva: ergo tollitur actuali partis approbatione erga nostrum Advocatum jam grandem Judicem. Deinde. Quod in meum favorem est introductum valet a me renuntiari: suspicionis causa est in meum favorem introducta, & ne ladar à judice; ergo possum renuntiate. Ul-

re. Ulterius: possum cognoscere bonam fidem, sanctam vitam, & peritiam illius Advocati; atqui hæ qualitates removent omnes præsumptiones, ac longe vincunt: ergo possum velle talem Judicem, quo forsitan non adeo periclitetur mea causa. Et quod quis possit recusationi renuntiare probatur ex cap. quod suspecti 3. q. 5.

5 Facit pro hac parte *Jas. in l. qui jurisdict. n. 7. de jurisdict. omn. judic. Bald. in l. eos post n. 4. cod. de applat. cap. cum special; & c. postremo de appellat. l. apertissimi cod de judic. auth. offerat. cod de litis contestat. l. ex consens. ff. de appellat. Imo. in. c. postremo in fin. de appellat. Bartol. in l. qui jurisdict. ff. de jurisdict. omnium Judic. ubi affirmat parti esse imputandum, cur in talem judicem consenserit; & allegat glos. in l. quin etiam ff. de receptis arbitr.*

6 Argues etiam: Ideo Advocatus adhuc ex partium consensu Judex esse non posset tali casu; quia offendetur ejus honestas, & sic esset contra publicam honestatem esse Advocatus, & postea judex: *Angel. in. l. Praetor ff. de jurisdict. omnium judic. Giurb. decis. 99. n. 7. & est. ratio laudati Mier. n. 1. per l. filius cum ibi notatis ff. de condit. instit: atque hoc est falsum; quia honestas per hoc non lœditur; & contra-ria sententia magis est communis, ut per Cancer. var. resolut. p. 1. cap. 21. n. 51. & decisum testatur Mastri. decis. 151. n. 15. ergo. Quod vero non lœdatur honestas, confitans est argumentum cap. irrefragab. de offic. ordinar. ubi Innocent, & alii. Immo per contrarium agitur de ejus magno honore, & virtute, quod cum alias regulariter non posset esse in ea causa judex: 1. fin. cod. de Assessor. l. Præt. ff. de jurisdict. omn. Judic. ex summa ejus integritate, pars de eo considerit, & ut suum Judicem in dicta causa acceptaverit:*

Rebuff. de recus. art. 2. glos. 1. in fin. Carol. Tapia lib. 3. juris regni Neapol. tit. de susp. offic. pragm. 23. n. 29. Dec. cons. 175.

7 Accedit: Quia si esset rigorose contra honestatem, quod antea Advocatus, postea in eadem causa sit Judex, adhuc supposito consensu partium, multo fortius esset isto ablato. Ast ita non videtur, quia sic non posset ullo modo bene judicare, atque tuta conscientia, cum lœderet honestatem; & hoc aperte sequeretur: atqui sequela est falsa: ergo etiam id, ex quo sequitur. Probatur minor; quia *Dian. resolut. moral. p. 3. tract. 5. miscel. resol. 56.* post Cordubam cenfet, quod prohibito fundatur in mera præsumptione, & ita legem procedere in foro exteriori: in foro autem conscientiae existimat posse nostrum Advocatum (seposito inordinato affectu) sententiam proferre, & non peccare, et iam altera parte inficia; dum alias bene judicet, & juxta suam conscientiam. Ita refert Xamar. ubi supra n. 57.

8 Contra tamen supraposita potes instare. Hæc suspicio in casu proposito est juris, & de jure; propter enim affectionem, quam Advocatus habet ad causam, in illa Judex esse non potest manifesto jure: atqui quando Judex est suspectus suspicione juris, & de jure, etiam non oblata recusatione sententia est nulla: *Alber. Brun. cons. 30. Mastri. decis. 151. n. 15. Gregor. Lop. p. 3. 1. 22. in glos. magna circ. medium: ergo Advocatus in tali casu non poterit esse Judex: ad quid enim, si sententia venit annullanda? Et faciunt quæ diximus n. 1. & prædicta ratio honestatis, quæ satis viget. Aut sententiam proferet contra antiquum clientem, aut pro isto? Si secundum, licet pars adversa consenserit, certe postea affectionem esse juris istius causam vocibus sparget. Si pri-*

mum,

mum, non videtur honestum; & jam mihi contrarius adsto. *Cancerius*, ubi supra n. 51. distinguit: aut etenim Advocatus votum propalaverat, aut non? Si non propalavit Advocatus, potest Judex proferre sententiam de consensu partium; aliter minime, ne scilicet ponatur in periculo, ut ex nimia sui voti affectione verum ejus judicium obcæetur; & ita tradit *Cancerius* judicatum in Senatu. Et addo, quia Reipublicæ interest sententias esse justas, decisiones conformes, & à suspicione liberas, ut ab aliis venerentur: ergo hoc privatorum pacto, aut consensu contrario tolli non potest. Ipse Advocatus non speret recusationem; sed dicat illico non posse esse Judicem, quod etiam aliis de causis, quin exprimerentur, vidi observare multos Senatores per juramentum, quo posito ad alium volat processus; & currit distributio.

9 Quæro: Advocatus alicujus, qui est assalariatus ad omnes causas, poterit num esse Judex in aliqua causa, in qua ipse nullo modo intervenit, aut concilium præsttit? An potest recusari per aliam partem ut suspectus? Censeo posse ob affectionem, quam habet ad suum clientulum, ut de teste notatur in cap. *Roman*; & ibi glos. de testib. lib. 6. atque ibi *Anchar*. n. 3. & 4. *Butr.* in c. cum à nobis n. 13. extra de testib. Jam vero Judex, & testis æquiparantur: *Alf.* q. 1. n. 168. & vel probatur ex conjunctione duarum legum l. 1. cod. ne quis insua causa, & l. omnib. cod. de testib.: notat *Cancer*; ubi supra n. 53. & ita consulere tradit in domo deputationis. Ego hoc censeo Judici arbitarium, attenta lite, parte, & salario, & quod magis est, circumspecto novo Judice, & habitu respectu ad hæc omnia, semper resolverem.

10 Remoto autem consensu, nullatenus noster Advocatus poterit esse

Judex; quia Advocatus dicitur amicus partis, pro qua advocatione: immo advocare nihil aliud est, quam desiderium amici exponere apud eum, qui jurisdictioni præstet l. i. §. 1. ff. *de postul*. Et eodem tempore dicitur inimicus adversarii: *glos. in l. pecun.* ff. *de condicet. ob causam*, verbo repetitur. *Put. de syndicat. in verbo suscipio* n. 5. Quomodo ergo Judex erit his terminis? Ego sane nullatenus judicare, aut ullo modo vellem, licet partes non solum peterent, sed millies instarent; ac ita moneo faciendum.

SUMMARIUM CAPITIS XXXVII

Quid sit communis opinio declaratur: opinio communis constituitur ex numero, & auctoritate DD: Opinio Glosæ, & alicujus amici Doctoris dicitur communis. Alii volunt tres DD. hoc casu: Alii septem requirunt, inter quos sit aliquis eximius Doctor. Vide late; communis opinio est attendenda, æquiparatur legi, & consuetudini. Præsumitur vera.

2 *Communis opinio est attendenda, licet contra sit Innocentius, Speculator, Archidiaconus, seu alias illustris doctor. Hæc ampliatio est de mente legis Lusitanæ, quam hic vide, & mente teneto.*

3 *Opinio glossæ est idolum Advocatorum, & nimis est attendenda. Sed communis opinio contra glossam est eligenda, si detur: glossæ auctoritas licet magna, non est necessaria: sed solum probabilis; & minime attendenda, quando in legem pugnat; vel est contra bonam consuetudinem. Decisio contra communem opinionem non est bona. Opinio consuetudine firmata præfertur communi; immo communior est.*

4 *Judex qui in judicando non sequitur*

tur communem opinionem, tenetur in syndicatu ad damna, & interesse. Vide resolutionem, aut explanationem authoris de hoc, & circa hoc. Judex debet sequi communem opinionem etiam contra suum Preceptorum. Aliud est disputare, & docere; aliud autem judicare. Non est curandum de Subtilitatibus Academiae.

5 Communis opinio est attendenda contra Collegium. Plures de Collegio habentur loco unius. Limitatio de maiore Collegii parte declaratur. Collegii authoritas ampla est; & maior uno magno Doctore. Communis opinio amplectenda contra Rotam. Stylus Rotæ non servatur extra Rotam. Decisiones Afflictis magnam habent autoritatem in Regno Neapolis, & locis ei subjectis. Decisiones Lusitanæ semper amanda. Lusitania semper micat facundis Senatoribus. Totus Orbis veneratur decisiones Lusitanas. Decisiones Afflictis non sunt omnes a sacro consilio emanatae.

6 Utrum communis opinio sit attendenda, quando authores nullam pro ea dant rationem? Vide hic nostram distinctionem, quam sequere libenter. Sola ratio est anima opinionis.

7 Quid possit facere Advocatus, quando opiniones sunt diversæ? Potest defendere illam, quam maluerit; & sufficit abhærere parti, quæ suam habeat probabilitatem.

8 Magistraliter præsens materia hoc numero declaratur. Advocatus debet monere partem de dubiis circa opiniones. Non debet infallibiliter promittere victoriam. Pulchra hic notabis; & bonæ distinctionis fædere tendes.

9 Doctor, qui aliorum opinioni se subscribit, videtur illam approbare.

10 Doctor, & Advocatus, qui sentit contrarium, potest tuta conf-

cientia opinioni plurium se subscribere, si cæterorum opinio probabilitate destituta non est. Cuique fas est probabile consilium alterius sequi.

11 Damnantur Advocati facile subscriptentes aliorum consiliis: Isti dicuntur grues: Plura ad rem traduntur.

12 Propria opinione retenta, & contrarium de interrogatione firmiter sentiens, possum me aliis subscribere, secundum multos DD. & memorantur isti, & dantur rationes: Qui prudenter agit, bene agit: Qui sequitur opinionem aliorum, licet contrarium intelligat, prudenter agit juxta istos: Ampliatio ad confessarios.

13 Aliqui contra stant, & interrogatum teneri ad respondendum secundum propriam opinionem autuantur.

14 Ita sequitur author hoc numero, & pro hac parte acerrime stamus.

15 Pericula, & damna, quæ ex contraria opinione sequi possunt, hic declarantur.

16 Licet primi interrogati Advocati citent plurimis, & graves Authores, debeo nihilominus prudenter ponderare materiam, examinare opiniones, & casus figurati, ac expositi ultimas rationes: Non possum me subscribere, si aliter sentio.

17 Advocatus tenetur aperire clienti probabilitates opinionum: Negotium certificare indecens est aliquando. Debeo manifestare meum verum sensum. Quot capita, tot sententiae. Reprehantur argutiae, & subtilitates. Judex non potest propria opinione retenta, se subscribere aliorum opinioni.

CAPUT XXXVII.

An Advocatus contrarium sentiens, possit se subscribere tuta conscientia opinioni aliorum? Explicatur prius opinio, & de opinionibus late agitur.

DE opinionibus etiam acturi sumus, est enim materia quotidiana, & non debent nostri Advocati & DD. ignorare probabilitates, & quæ maior, minor vel sit. Communis ergo opinio definiri potest: *Est de jure controverso à plerisque, vel illustrioribus probata sententia.* Vel sic: *est probata sententia de jure non aperto ab omnibus, vel à peritioribus.* Hoc omne tradit Corat. in tractat. de communi opin. pag. 16. n. 1. Opinio ergo communis constituitur ex numero, & autoritate DD. *Lancell. in Breu. pa. 189.* n. 25. Ast qui numerus faciat communem opinionem, juris est controversa sententia? Aliqui volvere opinionem approbatam à glossa, & alio amico Doctore dici communem. Alii, quod opinio glossæ, qua cum pertransfeant tres alii DD. sit communis. Tertia opinio, & magis nova afferit, quod opinio communis constituatur saltem ex numero septem DD. inter quos sit autoritas *Innocentii, Hostiensis, Speculatoris, Bartoli, vel alterius eximii Doctoris.* Per me communis opinio illa est, quæ cognoscitur per maiorem numerum authorum, sive meliori numero, majorique fulcitur: Ea tamen opinio, quæ habet DD. maioris autoritatis vel ideo non definit esse communis, & hoc per Corat. in predicto tractatu, ubi latè videndus est. Sed quinam excessus faciat magis communem opinionem, etiam dubitatur? Aut sumus ergo in sterili quæstione, quæ paucos habet DD. eam pertractan-

tes, puta sex, octo, aut decem, quo casu dico excessum unius doctoris facere opinionem magis communem. Aut sumus in amplissima quæstione, qua plures scriperunt DD. puta quindecim, aut viginti, & tunc sufficiet duorum excessus. aliter: ad decem sufficit unius excessus: ergo si sint 30. pro tua parte; pro mea vero 33. mea est communis opinio. Circa vero excessum autoritatis, si æqualis est numerus DD. quilibet excessus prævalet; si aliter, & ex una parte est maior numerus, tunc magna circumspectione pondera authoritates, fundamenta, sanamque mentem illorum. Quando communis opinio sit attendenda, lege Navar. in 2. p. Decret. c. 27. rubr. fin. incip. Quæ opinio diligenda, n. 1. & seqq. f. 240. Fateor tamen opinionem communem semper esse attendendam, ut per Corat. in d. tract. in prefat. n. 12. & pluribus seqq. ubi altius exorditur, qua ratione hoc factum sit; & n. 30. tradit, quod communis opinio æquiparatur legi, & consuetudini; & n. 42. quod communis opinio presumitur vera. Vide Lunt. in conf. pro uxore n. 43. & seq. Matthes. sing. 193. in addit. pag. 311. col. 2. Dias regul. 106. ubi ampliat, & limitat, Viv. pag. 127. & 130. in fin. Alciat. de prof. reg. 1. prof. in addit. Breu. pag. 187. n. 21. & seq. Turz. opin. 160. Roland. cons. 97. n. 12. & seqq. vol. 3.
Hæc doctrina ampliatur, adeo ut communis opinio sit amplectenda, licet contra stet Innocentius, Speculator, Archidiaconus, seu aliis illustris doctor: ita Corat. de commun. opin. pag. 140. n. 16. & seqq. ubi respondet ad fundamenta contraria. Notabis tu hanc ampliationem esse de mente nostræ legis, quæ licet plurimum authoritatis trumperet Acurtio, Bartoloque, limitat tamen, dum contra stet communis

munis aliorum DD. opinio: Ord.
lib. 3. tit. 64. n. 1. ibi.

„ Ese o caso , de que se trata em
„ pratica naõ for determinado por
„ ley de nossos Reynos , estylo ,
„ ou costume acima dito , ou leys
„ Imperiaes , ou pelos sagrados
„ Canones, entaõ mandamos , que
„ se guardem as glosas de Acur-
„ cio incorporadas nas ditas leys,
„ quando por commum opiniao
„ dos DD. naõ forem reprova-
„ das ; e quando pelas ditas glo-
„ fas o caso naõ for determinado ,
„ se guarde a opiniao de Bartolo;
„ porque sua opiniao commum-
„ mente he mais conforme à re-
„ zaõ , sem embargo que alguns
„ DD. tivessem o contrario , fal-
„ vo se a commum opiniao dos
„ DD. que depois delle escreve.
„ raõ, for contraria.

Notabis etiam , quod licet opinio
glosæ sit veluti idolum advocato-
rum , & nimis attendenda , ut bene
Roland. cons. 94. n. 15. vol. 1. itaut
quicumque eam sequitur , veritati
videatur inhærere , ut idem *Roland.*
cons. 14. n. 41. vol. 3. Cephal. cons.
16. n. 31. & secundum istos , & a-
lios DD. antecellat ; est tamen
communis opinio attendenda , licet
sit contra glosam : *Farinac. in repert.*
judic. q. 13. n. 14. ubi n. 15. dat
rationem , quia licet glosæ autho-
ritas magna sit , tamen non est ne-
cessaria , sed solum probabilis , &
minime attendenda est , quando in
legem pugnat , vel contra bonam
consuetudinem. Est etiam communis
opinio attendenda , licet aliquando
contra eam fuisset judicatum. In
promptu est ratio ; quia decisio
contra communem opinionem non
est bona : ergo non imitanda. Ali-
ter : legibus , & non exemplis est
judicandum. Si tamen toties sit ju-
dicatum contra communem , ut fue-
rit inducta consuetudo , sequeretur
decisionem libenter ; opinio enim

confuetudine firmata præfertur com-
muni. Quid vis ? Mihi certe his ter-
minis communior est.

Plura hic de Judicibus tradunt
DD. & referre animus non erat ,
cum de Advocatis agamus tantum ;
sed quia facile Advocatus potes es-
se Judex , aliquid involuam summa-
tim. Judex ergo , qui in judicando
non sequitur communem opinionem ,
certe tenetur in syndicatu ad dam-
na , & interesse partibus , facitque
litem suam : cum plurimis *Farinac.*
ubi supra n. 18. quod ampliatur ,
sive sit per dolum , sive per impe-
ritiam , & ignorantiam. Aliqui eum
excusant si ignoranter faciat ; ego
tamen Judicem ignorantem odi. No-
ta tamen de hoc in syndicatu non
agi , a judicibus enim istis datur ap-
pellatio , & superiores omnia pos-
sunt emendare : unde quomodo
in syndicatu his apicibus locus esset ?
Ad damna tamen dico teneri , cum
male judicaret , semper enim prop-
ter illam sententiam iniquam pars
experitur novas expensas in nova
instantia , & certe nimis gravatur.
Judex etiam debet sequi commu-
nem opinionem contra suum licet
præceptorem ; & aliud est disputa-
re in scholis , aliud judicare : unde
etiam Academix Collimbriensis Præ-
ceptores quando in Senatu judicant
debent sequi praxim , & opinionem
communem , relictis apicibus , &
subtilitatibus Academix ; multa e-
nim sunt , quæ licet in rigore juris
vera , attamen per oppositam con-
suetudinem , & contrarium stylum
judicandi locum habere non possunt
in Senatu , & mere spectant ad Aca-
demias.

Communis opinio est attendenda ,
& amplectenda , licet contra sit
Collegium aliquod , puta Bononien-
se , Perusinum , Collimbriense ; plu-
res enim de Collegio habentur lo-
co unius : *Farinac. ubi supran. 25.*
Qui tamen n. 26. tradit , quod si

maiор pars Collegii pro una parte resolvat, opinio per Collegium firmata erit communis opinioni præferenda; & n. 27. quod Collegii authoritas ampla est, & quod opinio Collegii habet pro se maiorem præsumptionem consilio simplicis Doctoris, simplicis, idest, unici. Amplectienda iterum est communis opinio, quamvis contra stet Rota: neque stylus Rotæ servatur extra Rotam: *Farinac.* n. 28. In Regno Neapolitano, & Locis ei subjectis attenditur decisio Afflictis, plus quam communis opinio; ut n. 29. tradit. *Farinac.* Tantum privilegium credo ego non competere aliis; de nostri tamen Senatus Lusitani decisionibus crederem ego, vellemque à nobis temper amandas; nullis enim aliis sunt secundæ, & semper nostra Lusitania, omni tempore potita est facundis, disertisque Senatoribus; ita ut totus orbis Lusitanas decisiones sedulo veneretur. De illis autem decisionibus Afflict. dico ego non esse observandas; nisi quando omnino rationabiles apparent, quia non sunt à sacro consilio omnes emanatæ.

6 Quærunt: utrum communis opinio sit attendenda, si DD. qui pro ea stant, non dant rationem. *Farinacius* n. 31. resolvit affirmative. Explicarem ego: aut non dant rationem; quia non datur, & non invenitur apta: aut non dant; & excogitari potest, ac facile inventi? Si secundum, libenter adhæreo Farinacio. Si primum, minime gentium illis Doctoribus faveo; quia opinio sine ratione non est opinio, & sola bona ratio est anima opinionis. Et argumentor sic. Quia opinio non est maior, quam lex; atqui si ista non habet rationem, in qua fundetur, minime stare potest: ergo: cætera in materia si scire cupis, te lectorem remitto ad *Farinacium*, ubi supra.

Quid possit facere ergo Advocatus, quando dantur duæ opiniones diversæ inter DD. & an possit sequi quam maluerit, si ambæ sunt probabiles? *Valent. disp. 5. q. 15. punct. 5. q. 1. in 2. 2.* putat posse Advocatum, considerato jure naturæ, pro libito defendere quam maluerit, attento vere jure humano probabile esse in hoc eventu non posse defendere actorem, nisi causa sit digna favore, nempe causa pia, vel libertatis, vel matrimonii. Ratio est; quia quando partium sunt jura obscura, favendum est reo. Ita sequitur *Sylvest. verbo Advocatus* q. 13. Atque ita vel Advocatus desistere debet, vel reum suscipere defendendum. *Gutier. tamen canonic. quest. lib. 1. cap. 13. n. 13.* tradit posse Advocatum quamcumque maluerit partem sequi, & vult hoc idem in specie *Mercad. tract. de tratos, y contratos, lib. 4. c. 18. fol. 217.* & Advocatum in causis civilibus dubiis in jure, vel in facto super veritate earum, quando sunt diversæ opiniones, defendere quamlibet earum partium, sufficeretque adhærere illi parti, quæ habeat suam probabilitatem, nec semper necesse esse ut probabiliorem partem agat, quamvis pars contraria efficaciores videatur habere rationes. Hoc idem placuit *Soto lib. 5. de just. q. 7. art. 3. p. 463. col. 1.* ubi monet Advocatum qua cedula uti debeat, quando debiliorem causam defendit.

Ego ita censeo: Quando varietas, & diversitas opinionum circa jus clientum est, & æque pendet dubium in utramque partem, ita ut sit æque dubia causa, vel in jure, vel in facto, fas est Advocato tueri utramlibet partem; dummodo tamen doceat clientem de veritate juris, quam in causa deprehendit, ac invenit; nec illi pollicetur infallibiliter victoriam omnino

nino, sed dubium, quod subesse potest, pariter aperiat. Ita ego facio, & quod magis est, licet pro meo cliente videam centum Ordinationes expressas, nec ideo victoriam promitto, sed tantum bene defendere; valde enim sunt incerta hominum judicia. Quod exprimitur illud dubium, censet *Navar.* in sum. c. 25. n. 28. *Sylu.* verbo *advocatus* q. 10. *Gutier.* ubi supra n. 24. *Vasq.* I. 2. l. 19. art. 6. disp. 64. c. 1. n. 3. *Azor* tom. I. *Instit. moral.* lib. 2. c. 17. q. ultim. *Sayr.* in clau. reg. lib. I. cap. II. n. 17. *Salaz.* I. 2. q. 21. tract. 8. disp. unic. sect. II. n. 103. Immo dicunt licitum esse Advocato pro utralibet parte advocare, quando causam clientuli minus probabilem judicat; & ratio genuina est; quia non spectat ad causidicum rem pronuntiare; id enim ad solum Jucidem attinet: officium vero nostrum est exhibere rationes clientuli, & coram Judicibus proponere, quibus consideratis moveantur ad juste deliberandum. Nam eo ipso quod clientulus juste movetur ad litigandum, juste etiam agit causidicus pro eodem patrocinando, satisque est, si moneatur pars de illa minore causæ suæ probabilitate. Quod si Advocatus affirmet causam illi omnino esse adjudicandam, cum oppositum apud se pro certo habeat, tenetur resarcire damnum clienti subsequutum, si ipse, cognito causæ periculo, ac dubio, non esset omnino causam prosequuturus. Ita etiam tradidit nobis *Salon* 22. q. 63. art. 4. controv. 2. Quando vero causa clientis est partim probabilis, & pro quo raro, aut numquam in judicio pronuntiantur, censet iste Author, quod evenit hoc nobis non est integrum patrocinari; quin tenemur sub onere restituendi aperire multo fortius clienti periculum talis litis. In hoc sensu intelligendi sunt loqui *Set.*

lib. 5. q. 8. art. 3. & Bañ. 2. 2. q. 71. art. 4. in I. pag. dub. 6. Mercad. *lib. 6. de contract. c. 8. dicentes pecare Advocatum, si patrocinetur pro actore minus probabilem causam habente. Et hoc accipi debet, quando agitur de causa civili ardua, & magni ponderis, ac momenti. Secus dicendum, quando causa est de civilibus minoris momenti, quia tunc admittunt posse Patronum minus probabilem tueri, dum modo de ea minori probabilitate fiat cliens certior ab Advocato. Si causa est parum probabilis ita tene, si habeat bonam probabilitatem, & rationes, de scrupulis non est curandum. Tu propone fundamenta, & Judex eligat, ac decidat.*

Nunc ad quæstionem, quæ posita est fronte hujus capitinis jam con-

volemus: Hanc nempe excitarunt duo gravissimi, & facundi Jurisconsulti, scilicet *Marzar.* in epitom. de fidei comis. 2.p. n. 10. & Alexander Raudensis resp. 10. in addit. n. 372. & nullus eorum illam resolvit, sed Theologis decidendam relinqūt. Supponenda à nobis sunt aliqua prius. Dico in primis, quod Doctor, qui aliorum opinioni se subscribit, censetur illam approbare; nam scripturæ se subsignans dicitur approbare omnia contenta in ipsa: *I. pluribus de verbis. obligat. Alex. conf. 147. lib. 2. Rot. conf. 44. n. 20. lib. I. Menoch. de præf. præf. 66. lib. 3. Grat. disc. for. tom. I. c. 162. n. 1. Cancer. var. resol. p. I. cap. 22. n. 2. & 3. & p. 3. cap. 4. n. 262. Bartol. in l. cum. tabernam §. idem quos. n. I. vers. item forte ff. de pignou. Roman. conf. 303. n. I. tx. in l. fidejus. §. pater. ff. de pignor. tx. in §. I. Inst. de empt. & vendit. Alex. in l. admonendi n. 166. ff. de jure jurand. Gabriel in suis conclus. lib. I. tit. de præsumpt. conclus. 3. n. II. Benvenut Strach. in tract. de mercat. tit. quomodo in causis mercatorum n. 30.*

Secundus

Sed agam

10 Secundo dico, & suppono: Doctor, qui sentit contrarium potest tuta conscientia opinioni plurium se subscribere, dummodo caterorum opinio ratione, & probabilitate destituta non sit. Ita tenet Azor.

*p. 1. Inst. moral. lib. 26. 17. q. 7.
Sanch. tom. 1. oper. moral. lib. 1. c.
9. n. 13. & 14. Vasquez 1. 2. disp.
62. c. 4. n. 14. Filiuc. moral. quæst.
tom. 2. tractat. 21. cap. 4. n. 149. in
fin. doctus. Medin. 1. 2. q. 19. art. 6.
Pater Granad. 1. 2. contr. 2. tract.
12. cisp. 4. sect. 3. n. 23. Bonacin.
tom. 2. disp. 2. q. 4. punct. 9. n. 4.
Laym. tract. 1. cap. 5. §. 2. n. 7. aff.
2. Sal. 1. 2. q. 21. tract. 8. disp. unic.
ses. 6. n. 66. ubi asserit istam con-
clusionem probabiliorem, & verio-
rem; quod quidem pluribus argu-
mentis posset demonstrari. Cuicun-
que enim fas est probabile consi-
lium alterius sequi contra proprium
dictamen. Et mihi licitum est com-
munem opinionem eligere, vel sal-
tem tutiorem, atque probabili-
rem. Itaque si ego probabiliter pu-
tem, hominem à longinquō venien-
tem à me visum esse Petrum, cum
alii contra dicant esse Paulum, pos-
sum prudenter contra meam opinio-
nem, aliorum sententiæ, qui me-
cum sunt, interea assentiri, vel
quia plures sunt, qui viderunt,
vel quia putem eos perspicacius re-
mota quæque aspicere: ergo pote-
ro etiam in aliis prudenter desere-
re meum proprium judicium, alio-
rumque amplecti opiniones.*

11 Suppono etiam, & tertio dico, multos DD. & Advocatos esse faci-
les in subscribendo aliorum consi-
liis, etiam aliquando non lectis,
vel velocissime lectis; ita ut vix
sensum rerum, verborumque per-
cipiant, quæ si attenderent, uti-
que contrarium dixissent. Hoc non
est bonum, & potest dari culpa
gravis in eo, & non levia ob hoc
partibus ipsis damna irrogantur,

quæ, visis sententiis, & nemine
discrepante, vel maiori parte con-
cordante ob primi forsitan auth-
oritatem, quem sequuntur amici,
convolat illico ad litem injustam.
Cavete ergo, Advocati, ab hoc pe-
riculo, nec passim vos subscribatis
alienis opinionibus, licet Seniorum,
quando non estis illius sententiæ.
Væ mihi? Aliqui Advocati forte
nullius judicij, sed pinguis Miner-
væ, decisiones aliorum vel bonas,
vel malas sequuntur, sicut grues,
de quibus in c. in apibus 7. q. 1. vi-
de Stephan. Gratian. discept. for. tom.
3. c. 547. n. 22. ubi nos admonet.
Accedit, quia ex hoc, atque illa
inertia plerumque attenuatur, &
deperditur omnino Advocatorum
fama, cum postea tales sententiæ
declarentur ineptæ, & nullius ro-
boris, ac vigoris. Et quid, si hæc
ad manus advolent Judicum peri-
torum, quantum vos Advocati,
auxilii, bonique oloris perdidistis?
Incivile est judicare, vel respon-
dere de jure, nisi cognitis omnibus,
quæ ad causam pertinent, & sin-
gulis perspectis, quæ negotii pos-
tulat utilitas: 1. incivile. ff. de leg. 1.
de his controvers. ff. de transact. Ego,
ut mentem meam proferam, num-
quam subscribo, quin prius ex-
aminem negotium ab origine, librof-
que revolvam, & semper profero
secundum meam tenuem Miner-
vam, quid quid horrendi clament
aut tigres, aut Leones.

Tota ergo difficultas stat in eo: 12
an Doctor, vel Advocatus sentiens
contrarium possit tuta conscientia
opinioni plurium, quæ probabilis
sit, se subscribere? Propria opinio-
ne retenta contrariæ adhærere, &
se subscribere posse dicunt, multi
DD. ut est Azor supra citatus in d.
q. 7. Vasques ubi supra in d. disput.
62. c. 4. & alii, quos referunt. Azor
ait, opus non esse, quod propriam
nos deferamus opinionem, ut alio-
rum